









11257.

IOANNIS DANIELIS RITTERI D

S. R. M. A CONSIL. AVL. ET HISTOR. P.P. H.T. DE  
CANI ORD. PHILOS. ET IMPERIALI AVCTO  
RITATE CONSTITVTI COMITIS  
PALATINI

DISSERTATIO

DE

PAGO STEDING

ET

STEDINGIS  
SECVLI XIII HAERETICIS

IN LVCEM EDITA

CVM

SOLENNIA  
CREANDORVM MAGISTRORVM  
BONARVM ARTIVM  
INDICERET

---

VWITTEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHIANIS

1751 17





# MAGISTERII CANDIDATIS

S. P. D

IOAN. DAN. RITTER

**L**ibellum Vobis offero, quo de Stedingis, Germaniae populo, bellica uirtute clarissimo, accurate diligenterque differui. Fecit uero superiorum seculorum superstitio, quae omnium fere animos infederat, hominumque occupauerat imbecillitatem, ut inter sceleratissimos Stedingi numerarentur, eosque, tanquam diuini  
Numi-



Numinis contemptores finitimae gen-  
tes diris deuouerent. Illa omnium ar-  
tium mater, Philosophia, si princi-  
pem, eo tempore, locum auctoritatem-  
que tenuisset, tantum profecto non  
potuissent commentitiae fabulae, de-  
liramenta, impiaeque fraudes. Ita-  
que non miramur nos eius aetatis te-  
nebras, cum, sine Philosophorum disci-  
plina, nec iudicare, quae uera, quae  
falsa, sint, nec cernere consequentia,  
repugnantiaque uidere, homines potue-  
rint. Nunquam igitur satis lauda-  
bitur Philosophia, quam, qui, cum  
lau-



laude, profitentur, grauiſſimam omni-  
no ſuſtinere uidentur perſonam. Et  
ſapienter maiores noſtri inſtituerunt,  
ut, qui rerum diuinarum humana-  
rumque naturam cauſasque noſcerent,  
omnemque bene uiuendi rationem te-  
nerent ac perſequerentur, honore or-  
narentur Academico, ſuperbirentque  
Magiſtri bonarum artium, Doctoris-  
que Philoſophiae, honeſtiſſimo nomine.  
Hoc honore, inclutae Academiae no-  
ſtrae, Ordo Philoſophorum Ampliſſi-  
mus, me Praefide, futuro die triceſi-  
mo Aprilis, eos decorabit, qui in no-  
bilif



*bilissima Philosophia artibusque ingen-  
niis uersati sunt. Hortor igitur Vos,  
Philosophiae Candidati dignissimi,  
uelitis, nominibus mihi uestris, oppor-  
tuno tempore, datis, honorem oblatum  
rite expetere. Certiores Vos reddo,  
Amplissimum Philosophorum Ordi-  
nem, studiis doctrinae probatis, ue-  
stris satis facturum esse desideriiis.  
Deus uero, quicquid muneris nostri  
suscipimus, felix faustumque esse iu-  
beat. Bene Valete. Scribebam  
Wittebergae Sax. A. O. R.  
M DCC LI. die 4.  
Ianuar.*

D E  
P A G O S T E D I N G  
E T  
S T E D I N G I S  
S E C V L I X I I I H A E R E T I C I S

---

**A**lbo haereticorum, Seculo XIII. adscriptos legimus *Sredingos*, Frefonum populum, qui cum ne nomine quidem multis notus esset, factum est, ut Scriptores, eius memoriam posteris prodituri, *Stagingos*, (a) *Stadingos*, (b) *Statingos*, (c) *die Staden*, (d) *Sreder Ketter*, (e) fingerent, et is etiam, qui anathematis fulmine gentem percussit, Gregorius IX. Romanus Pontifex, *Scetbincos* (f) appellaret. Imo, quod mireris, sunt inter historicos ueteres recentioresque nonnulli, quorum tamen studium diligentiamque maxime probamus, qui terram quoque, quam incoluere *Sredingi*, ignorasse uidentur. *Albericus* sane, *Trium Fontium* monachus (g) ineptissime scriptum reliquit, Brabantiae Ducem, Hollandiae Comitem, aliosque

A mul-

(a) Godefr. monsch. *Annal. an. 1234. pag. 298. Tom. I. Script. R. G. Freber.*

(b) Magn. Chron. Belg. *pag. 249. Tom. III. Pistor. Script. R. G. VVeruh. Tefchenmacher. Annal. Cliv. part. 2. pag. 222. Edit. Dietmar.*

(c) Meyerus *Annal. Flandr. ad an. 1233.*

(d) Botho in *Chron. Brunsv. pictur. ad an. 1221. Tom. III. Script. Brunsv. Leibnit.*

(e) *Fragm. Chron. Bardeuic. pag. 218. Tom. III. Leibnit. Script. Brunsv.*

(f) *Lib. VII. ep. 186. ad Episcopos, Midensem, Lubecenf. etc. Vid. Kaynald. Annal. an. 1233.*

(g) in *Chron. pag. 551. Edit. Leibnit.*

multos, militiae sacrae nomen dedisse, ut *quandam Frisiae insulam, ad Stadingas*, euerterent. *Albertus Krantzius*, mentionem *Stedingorum* iniiciens, nec distincte, satis, nec definite, eos designat, sed *hominum genus palustre*, ultra Bremam confidens, *palustres populos, ad ripas fluuiorum accolentes*, nominat, <sup>(h)</sup> ut existimare quis possit, gentem fuisse uagam, ex raptō forte uiuentem, agitantemque, ueterum Saxonum Normannorumque more, latrocinia. Haec uero uiri, alias industrii, oscitatio, eam ob rem, magis uituperanda uidetur, quoniam is, cum Hamburgi scriberet doceretque, de uicinae gentis sede, noticiam, facile optimam, habere poterat. Huius uero auctoritatem, quoniam in homine maximam industriam et uidebant et admirabantur, cum plerique, et inter eos praesertim etiam hi, quibus *centurias* debemus *Magdeburgicas*, sequerentur, <sup>(i)</sup> in primis, quando in eo erant occupati studio, ut res ueteris Saxo-Westphaliae traderent, ex uno sensim errore plures mox nati sunt. Etenim hi ita censebant, *Stedings* Krantzio memoratos, et de quibus is, tanta cum fiducia, tanquam de gente maxime nota, scripserat, ripas fluuiorum eam accoluisse, alia loca non potuisse, quam *ad Albim, et infra Hamburgum*, inhabitare. *Adamus Rechenbergius*, cum et ipse de *Stedingis*, in *Summario Historiae Ecclesiast.* dicere institueret, hisque, qui *ad Albim* popululum collocauerant, crederet, bellissime deinde, ut paullulum doctior aliis esse uideretur, diuinare coepit, *Stedings*, quos et *Stadingos* uocari legerat, ad *Stedam*, uel *Stadam* olim censedisse, imo ab hac ipsa *Stada* accepisse nomen. Sciebat enim, urbem eam, ad *Albim* sitam, media aetate, et opulentam, fuisse, et florentem. *Stedam* autem, quamnam is intellexerit,

(h) Vid. *Metropol. Lib. VII. c. 30. 36. 47.* (i) Vid. *Centur. XIII. pag. 655.*

xerit, aut ubi locorum ea sit inuenienda, augurari ego minime audeo, quamuis non nesciam, *Stetbu* commemorare *Ditmarum*,<sup>(k)</sup> quem uicum, Stadam a posteritate dictum, acute arguteque nonnulli coniecisse se putant. Sed nolo hac de re plura disputare. Satis enim, ex his, quae sunt prolata in medium, patere existimo, uerum uideri, quod nostra aetate uir, inter Danos, acutissimus, plurimum et ingenio et iudicio polens, pronuntiauit: posse eos, qui summarium siue compendium unum perlegerint, reliquis facile carere, cum plerique malint exscribere, quam inuestigare, et ponderare, res, ad scientiam, humanitatem, elegantesque literas, pertinentes. Equidem haut inficior, ea nos temporum felicitate frui, quibus foras datae sunt, scientiarum artiumque, a doctissimis humanissimisque uiris, absolutissimae institutiones, quas, si acri iudicio, diligenterque, perpendas, putare possis, meras animaduersiones notationesque earum modo rerum esse, quae interiora pandere uidentur scientiarum; uerum id non possumus non uehementer dolere, egregios hos homines, quos nos omnes admiramur, imitari, aucupandae gloriolae causa, alios uelle, quorum in eo labor est unice positus, ut in lucem exeant publicam libelli, licet centies dicta continentes. Cum igitur intelligam, inuestigationem rerum singularium, et iucundam esse et necessariam, operae me pretium facturum initurumque esse ab iis gratiam, confido, quos, Geographiae Historiaeque mediae, studium maxime delectare solet, si de *Pago Steding*, *Stedingis*, *haeretica labe infamibus*, et bello diuturno et *cruento*, aduersus eos gesto, ueterum monumentorum fide, edisseram.

A 2

Quam-

(k) Lib. IV. pag. 353. Edit. Leibnit. Tom. I. Script. Brunst.



Pagi Steding memoria fuerat in Stedingia hodierna.

Quamuis autem pagorum nomina inter res uetustate obli-  
teratas numerare soleamus, remansit tamen nomen Pagi *Steding* ad nostram usque memoriam. Seruat enim id *Stedingia*, uulgo *das Stedinger-Land*, ad *Vifurgis* fluuii ripam occidentalem sita, et agrorum fertilitate felicissima. Capiebat autem olim, *Pagus Steding*, initium, ab amne *Delmen*, porrigebatur in latitudinem, occidentem uersus, ultra fluuiolum *Berne*, uergebatque uersus septentriones, trans *Huntam* flumen, ad *Oeuelgünam* usque arcem. Ex his igitur potest intelligi, *Stedingiam* ueterem contineri iam finibus Comitatum *Oldenburgici* atque *Delmenhorstani*.

Origo nominis dubia.

Origo nominis est incertissima. *Winkelmannus* quidem, *V. Cl.* scriptum reliquit, (1) in indice quodam uetere, terram *Stedingorum*, uocari *Stegland*, nomenque accepisse, auguratur, a semitis siue ponticulis, per quos eundem esset in *Stedingiam*. (*Von den Stegen, und daß man über uiel Stege in das Land eingehen müsse.*) Vt coniecturae etiam auctoritatem quandam attribuat, prouocat idem, ad *Godefridum* monachum, qui *Stedingos*, populum in confinio *Frisiae* et *Saxoniae* situm, paludibus inuis et fluminibus circumcinctum, *Stagingos* appellauerit. Sed ita male opinatur uir optimus. Etenim, si ponticulorum in mentem uenisset monacho, *Stedingos* nominare eum oportebat.

Stedingi Fresones fuerunt.

Fuerunt autem *Stedingi*, quod supra diximus, *Fresones*, *Hriustris*, *Rhiustris*, siue *Rustringis*, adscripti. Est uero *Rhiustris* pagus inter *Frisiae* antiquissimos, docente Poëta *Annal. de gest. Caroli M. Lib. III.* (m)

Cum

(1) In *Notitia Veter. Saxo-VVestphal. Lib. II.* (m) Ad. an. 793. pag. 19. *Script. R. G. c. 6. pag. 298.* Schilter.

*Cum Rex ad caeptum, statuisset conficiendum,  
Belli certamen, Hunos invadere rursus,  
Comperit extinctas Theodoricus Dux legiones  
Quas per Fresonum pagum Hriustri uocitatum  
Ducebat. Nam Saxonum periire dolosis  
Insidiis, coptae Wisurae prope litora pulvere.*

Locum exscripsi integrum, cum, et *Rustros* Fresones esse doceat, et belle, pagi situm, ad *Vifurgim*, designet. Veterum testimonia auctorum alia, laudatus modo *Winkelmanus* produxit in medium. (n) Is autem pagus *Rustri*, siue *Rustringiae*, maxime amplus, totam olim *Vifurgis* ripam, ad mare usque, comprehendit, suoque etiam complexu, pagum *Stedingorum* minorem, continuit. Sciunt enim, antiquitatis Germanicae periti, latiores pagos, angustiores, in fines saepenumero suos, inclusisse. Cui rei testimonio sunt litterae *Stedingorum* publicae, e tabulario *Oldenburgico* ab *Hamelmanno* editae, (o) quarum hoc est initium: *Vniuersis hanc litteram uisuris seu audituris, Iudices ac uniuersus populus Stedingorum, terrae Rustringiae, salutem in Domino.* In fine etiam tabulae, Iudices hi, profitentur, constitutos se esse, *Iudices Stedingorum Rustringiae.* Cum uero inter omnes conueniat, tabulis huius generis publicis, fidem maximam tribuendam esse, nolo, ne sim longior, auctoritatibus, rem confirmare, *Chronici Rastedensis, Henrici Woltervi, Ioannis Schiphoweri*, inprimisque *Vbbonis Emmii*, qui *Fresonum* antiquitates magna cum accuratione memoriae tradidit, egregieque edocuit, *Stedingos* populum generis esse *Friscii*, *Rustris* siue *Rustringis* quondam adscriptum. Certe *Henricus Wolterus*, (p) *Vprustringiam*, quoniam

*Stedingi ad Rustros pertinent.*

*Stedingorum Pagum minorem, continebat maior pagus Rustri.*

A 3

niam

(n) In Not VVestph. Lib. II, c. 5. Adde Meibomium, et Paulinum, de Pagis.

(p) In Chron. Bremenf. pag. 69. Tom. II. Meibom. Script. R. G.

(o) In Chron. Oldenb. Part. II. c. 1. p. 97.

niam terram hanc, Frisica gens, incolebat, Frisiam appellat. Anno Domini, ait is, MCCCCI. fuerunt Bremenses in Frisia, et destruxerunt Blexen et Waddensen. Haec uero praedia ad Vprustringos, siue Budiados, ut iam audiunt, pertinuisse, peruulgatum est.

*Stedingiae  
fines.*

Ne uero existimare quis possit, uitio me finitorem esse creatum, ueterisque Stedingiae fines, ut lubitum est, terminauisse, ratio quoque terminorum, quos supra constitui, probabilis quaedam reddenda esse uidetur. Cepisse autem Stedingiam initium ab amne *Delme*, ex eo fati licet cognoscere, quod Archi-Praefules Bremenses summam in agris his, qui ad meridiem prospicientes fluuiolum hunc attingebant, olim habuere potestatem. En Diploma Friderici Imp. Hartwico Archiepiscopo A. D. MCLIII. datum: (q) *Omnium nouerit industria, qualiter nos utilitati Hammenburgensis siue Bremensis ecclesiae omni diligentia providere cupientes, paludes iuxta Bremam sitas, uidelicet Wegebrog, Brinckebrog, Huchtringerbrog, quae prius absque cultura erant, inhabitari et coli concessimus, infra hos terminos, a Wexe uidelicet et Drexe inter Ochtmundam et Wiseram, usque ad locum ubi confluunt, et trans Ochtmundam inter Brincken et Hasberge. Vicum Hasberge, qui proxime Delme amnem est, tabulae ostendunt geographicae. Deinde cum Gerhardus, Archiepiscopus Bremensis, Stedingos uellet in obsequio continere, arcem Slutere, quae feruitutem, populo imponendam, uidebatur minari, prope ad fines eorum aedificauit, quam olim non procul abfuisse ab urbe Delmenhorstana, postea demum*

con-

(q) Inter priuil. Archiecl. Hammaburg. (s) Chron. Bremens. pag. 56.  
pag. 160. in Lindenbrog. Script. Septent. (r) Pag. 98. Tom. II. Meibom. Script. R. G.  
(t) Chron. Oldenb. Part. I. c. 19. pag. 62, (u) Pag. 100.



condita, praeter *Hamelmannum*,<sup>(r)</sup> docent *Henricus Wolterus*,<sup>(s)</sup> et *Chronicon Rastedense*. <sup>(r)</sup> Is inquit, *MCCXIII*. *Archiepiscopus Gerhardus primus aedificauit castrum Sluttere, nec tunc adhuc erat castrum Delmenhorst. In Chronico uero Rastedensi legimus: Castrum Sluchter uastatum per Stedingos. Nam castrum Delmenhorst nondum erat, nec erat Comitum Russtriae: sed area prope Delmenhorst uocata de Horst, unde modo nomen castri, erat de pseudo ecclesiae Bremensis, et habebat militares et ministeriales, dicti de Brunsten, alias Mulen: qui permutauerunt postea cum quodam Ottone, dicto de Oldenburg. Paulo post <sup>(u)</sup> Chronicon idem haec habet: Nec dum castrum erat in Delmenhorst, sed in Sluttere, quod Archiepiscopo pertinebat. Porro, Orientem uersus, Ochtmundam siue Ochzeman (Vchtam) fluuium, Stedingiae fuisse conterminum, et Diploma Friderici Imp. supra memoratum, fidem facit, et historia belli Stedingici confirmat. Cum enim hi, qui sacram obierunt militiam, ipsam ingredi uellent Stedingiam, castra initio metati sunt prope Bremam, deinde uero, ponte, Ochtmundae imposito, hostilem mox inuaserunt terram, ut referunt *Historia Archiepisc. Bremens.* <sup>(x)</sup> *H. Wolterus*, <sup>(y)</sup> et *Chron. Rastedens.* <sup>(z)</sup> In latitudinem, occidentem uersus, Stedingiam porrectam fuisse *ultra Berne fluuiolum*, testimonio est, caenobium ordinis Cistertiensis, *Hude*, uulgo *Monckerbude*, ab *Vdone Comite Oldenburgico Seculo XI. in Stedingia* conditum, quod *Hamelmannus in Chron. Oldenb.* <sup>(\*)</sup> et *Winkermannus in Notiz. Westphal.* <sup>(a)</sup> docent. *Cis Huntam* porro, ad Stedingos pertinere *Berne, Oldenesch et Barneflet.* Auctor *Chron. Rastedens.* <sup>(b)</sup>*

*Anschau-*

(x) Pag. 98. in *Script. Septent. Lindenbrog.*

(\*) *Part. I. c. 12. p. 25.*

(y) In *Chron. Bremens. pag. 59.*

(a) In *Notiz. Westphal. Lib. II. c. 6.*

(z) Pag. 101.

(b) Pag. 98.

*Anſcharius, inquit, eccleſias erexit, ab utraque parte Huntæ, unam etc. aliam in Berne, etc. Idem legimus apud Schiphowerum. (c) Prope Oldeneſch, terræ Stedingicæ uillam, populus Stedingicus ad internecionem caeſus eſt. Chronicon Raſtedenſe: (d) Pugnae locus fuit inter Ochtmundam et Oldeneſche, ubi reſcribendum Oldeneſche, ut recte legitur in *Historia Arch. Bremens.* (e) Deinde inter Duces Stedingorum celebre nomen habet *Boekeke*, ſiue *Bolke de Bardenſete*, apud *Wolterum*, (f) et in *Historia Arch. Bremens.* (g) *Trans Huntam* inhabitantur Stedingi, praedia *Hundorp*, *Elsſet*, *Linen*, *Hamelwarden*, uillasque alias, ad *Oeuelgünam* uſque. Ita legimus apud *Wolterum*, (h) et in *Histor. Arch. Bremens.* (i) fuiſſe inter Duces Stedingorum, quendam, ſiue *Bardonem*, ſiue *Tammone*, de *Huntorpe*. Praedium *Elsſete* memorant *Wolterus*, (k) cum ait, *Ida morabatur in Elsſete terræ Stedingicæ*; et *Chron. Raſtedenſ.* loco iam ſupra allato: *Anſcharius eccleſias erexit Stedingorum ab utraque parte Huntæ, unam in Elsſete, etc.* Eadem plane inueniuntur ſcripta apud *Schiphowerum* in *Chron. Oldenburg.* (l) Vici *Line* mentio fit in *Chron. Raſtedenſ.* (m) et apud *Schiphowerum* in *Chron.* (n) *Erant*, inquiunt, *duo caſtra in terra Stedingorum, uidelicet Lechtenberge, et Line.* Et ad hunc etiam uicum pertinet compositionis tabula, (*Sonam* bene uocant Stedingorum Iudices) anno M CCC XXXII. ſcripta, cuius initium, ex *Hamelmanno* ſupra dedimus. Fatentur ea, *Syba*, filius *Harrekonis de Rodenkerken*, et *Acko*, *Eda*, *Aluord* ac *Edolfus*, filii quondam *Ioannis de Smalenſſet*, quod controuerſia, inter ipſos ac *Hermannum**

(c) In *Chron. Oldenb. c. 4. pag. 131. Tom. II.* (f) In *Chron. Bremenſ. pag. 59.*  
*Script. R. G. Meiborn.* (g) *l. c.*  
(d) *Pag. 101.* (h) In *Chron. Bremenſ. pag. 49.*  
(e) *Pag. 98. inter Lindenbr. Script. Rev. Sept.* (i) *loc. cit.*

num Album de Alberinga, *suborza super haereditate, sita supra Linam, uidelicet quarta parte terrae, quae uulgariter Verdendeil nuncupatur, quam Moderke de Lina, honesta faemina, quae auia eorum quondam extiuit, ipsis praedictam haereditatem iure haereditario possidendam dereliquit, nunc sit ad pacem et concordiam reformata.* Erant quidem illi de Rodenkerk et Smalensfet, inter Rustros; sed, cum *Line* in potestate esset Stedingorum, lege quoque agendum fuit, apud Iudices populi Stedingici. De *Hameluerda* abunde dixit *Winkelmannus* in *Notit. Westphal.* (o) *Oeuelguna* tandem arx cum, recentiore aetate, ad ipsos Stedingiae fines, a Ioanne XIV. Oldenburgico, conderetur, ut ea, uelut frenum, omni Rustriae Transiadanae, praesertim uero Statlandiae, is iniiceret, ab insultantibus etiam, et ex inuidencia, nomen accepit, maxime inuisum, *übel gönnen*. De ea consulendi sunt *Hamelmannus*, et *Winkelmannus*.

*Statlandiam*, cuius iam mentionem iniecimus, eandem *Statlandiam*, cum *Stedingia*, unum etiam idemque *Statlandorum* et *Stedingorum*, fuisse, olim nomen, postea uero in diuersam significationem id abiisse, hisque speciatim esse inditum, qui supra Stedingos, uersus mare habitabant, plures, et in his quoque *Winkelmannus*, (p) existimarunt. Idem etiam uir doctissimus ita censet, *Statlandiam* nomen ideo accepisse, quod *Statlandorum* agri, propius ad urbem, siue *Bremam*, siue *Oldenburgum*, accedant. Illi enim *Statlandos*, ratione ecclesiasticae iurisdictionis, huic uero, ratione ciuilibus, esse deuinctos. Sed et is, et hi

B quo-

(k) In Chron. Bremens. pag. 49.

(n) Pag. 144.

(l) Capit. 4. §. pag. 131. 141. Tom. II.

(o) l. c.

Script. Rer. Germ. Meibomii.

(m) Pag. 98. Tom. II. Script. R. G. Meibom.

(p) In Notit. ueteris Saxo-Vestphaliae lib.

II. cap. 6.

quoque, qui cum eo sentiunt, maxime errant. Imo coniectura *Winkelmanni* idoneo fundamento minime nititur. Quod si enim *Statlandis* nomen a ciuitatibus, modo memoratis, esset, rectius omnino, Stedingiae partem, intra Huntam fluiuium sitam, *Statlandiam* ueteres appellassent. Sed post paulo probabo, *Statlandiae* nomen, plane nouum, et cum Stedingia minime confundendum, esse. Etenim pagus *Rustris* solam complectebatur Stedingiam, nullumque nomen, olim in his terris aliud, quam *Rustorum*, siue *Rustringorum* *Sredingorumque*, auditum fuit. Hoc uero scriptum inuenio apud historicos populi huius, eos ex *Rustringis*, qui ad os *Visurgis* fluuii habitabant, et quos deinde aetas recentior, *Butiados* dixit, *Vprustringos* nominatos esse. *H. Wolterus in Chron. Bremens.* (9) *Siborus*, inquit, *mouit lites Vprustringis, id est, Budiadis.* Iada quidem fluuius, *Rustringiam*, olim in duas diuidebat partes, ita, ut *Rustrorum* alii, essent cis, alii uero, trans, *Iadam*; nomen tamen populo, qui a *Wangris* et *Ostringis* ad *Stedingorum* fines pertinebat, fuit commune. Sed, cum deinde, maxima maris tempestas, rumperet *Seculo XIII.* iactos aggeres, (quod *Hamelmannus in Chronico* docuit) ita, ut *Iada*, magna cum hominum agrorumque pernicie, in sinum maris abiret, nomina populi, in duas iam partes scissi, paulatim quoque, sed recentiore tamen demum tempore, immutari coeperunt. Fidem faciunt huic rei historici, qui bella pene continua cum *Rustris* gesta, memoriae tradentes, uel antiquum, ante *Seculum XIV.* nomen populi, edunt, uel *Fresones* eum appellant. His autem, qui ex *Rustris* cis *Iadam* confederunt, *Rustringorum* uetus nomen semper inhaesit. Etenim hodie *Rustringiam* appellamus tertiam, ditionis *Ieueranae*, partem. Hi uero

(9) Pag. 72.

uero ipsi huius terrae incolae, populares suos ueteres, *Butiados*, deinde nominauerunt, quod per maris irruptionem, quasi *extra Iadam, butten der Iade*, constituti essent.

Qui, infra *Butiados*, sunt, *Statlandi* audiunt, quod tamen *Statlandiae nomen*, ut supra obseruauimus, nouum est, et ante Seculi XV. initia uix frequentatum. Etenim et hi olim, siue *Rustri*, siue *Rustringi*, appellabantur. Sed cum Seculo XIII. *Stedingi* ab obsequio Comitum Oldenburgicorum discederent, *Rustri* quoque iugum excusserunt, atque in eo *Stedingis* fuere feliciores, quod, his deuictis et in potestatem redactis, libertatem illi, quam asseruerant, et tuerentur diutius, et retinerent. *Regulos* (capita, *Hauplinge*, uocabant) ex optimatibus legunt, qui populo praecessent, quorum fit frequens mentio apud *H. Wolterum, Hamelmannum, et in Chronico Rastedensi*. *Reguli* uero hi, cum deinde piraticam in *Wisurgi* fluuio facerent, nauesque praesertim *Bremensium*, diriperent, maximoque, mercatores excurrentes afficerent damno, *Bremenses*, qui inter foederatos *Hanseaticos*, Seculo XV. plurimum potentia eminebant, ut piratas coercerent, bellum *Rustris*, ad *Wisurgim* habitantibus, intulerunt. Erant inter regulos eorum, Seculo XIV. duo praeter reliquis celebres, quorum alter, *Haio Hufeken*, eam *Rustringiae* partem habebat in potestate, quae iam *Statlandia* audit; alter uero, *Dido Lubben* tenebat *Vprustringiam*, siue *Butiadiam*. *Bremenses* igitur, facto, cum *Edone Wimmeke*, *Ostringorum* *Wangorumque* regulo, foedere, anno MCCC LXXXIV. *Haionem* inuaserunt, eumque, diruto prius *Efenshamensi* templo, quod muniterat, comprehensum captumque, tenuere; quem postea, uinculis uerberibusque exeruciatum, *Edo* necauit. Terram, quam

Bremenses, eo bello, occupauerant, *Didoni* tradiderunt, ea tamen lege, ut Rempublicam ueneraretur Bremensium, et in eorum perpetua clientela esset. Populus etiam Bremensis, cum *Rustris*, impositum ab urbe iugum deieciuri, aduersus *Didonem* conspirassent, pro salute clientis arma iterum cepit, eumque diligentissime ab hostium iniuria defendit. Docet hoc *H. Wolterus in Chron. Bremensi.* (1) *Dido*, inquit is, fuit infeudatus Consulatatus et Archiepiscopi, qui et *Didoni* terram illam commiserunt, quam lucrati fuerunt ab *Haione Hussken*, sicut clare patet, quia *Rustringi* infestant *Didonem*, uolentes eum delere cum suis, sed *Bremenses* resistunt, et in terra eum obrinuerunt, et aduersarios depulerunt, et terram totam sibi subiugauerunt. Videmus igitur euidenter, terram, ad *Visurgim* sitam, quam *Haio* possederat, sibi uindicasse Bremenses. Hanc uero, idem *Wolterus*, eam ob causam, *Statland* appellat, et *Bremenses*, inquit, (2) infestabant *Haionem Hussken*, et ceperunt *Statland*, scilicet *Didonis* terram, et primo uenerunt *Bremenses* cum multis in *Esemisse* (*Efensham*) et deleuerunt turrim, et ceperunt terram, et postea in *Vprustringen* idem fecerunt. Locus hic classicus est, quippe qui planissimum facit, eo demum tempore, *Statlandiae* nomen, auditum esse. *Wolterus* enim, nouum plane nomen proferens, facere non potuit, quin declararet, quae potissimum regio eo intelligatur. Hanc uero, cum circumspectione aliqua, *Didonis* terram, uocat, quod sciebat, hunc ipsum eam, a Bremensibus, possidendam accepisse. Satis itaque patere existimo, *Statlandiae* nomen nouum esse, ideo terrae impositum, quod eam, urbs Bremensis, in prouinciae formam redegerat. Bremenses sane, anno MCCCCXIV. quoniam ipse *Dido*, ciuitatis cliens, fidem fregerat, libertatisque cupidus, et *Statlandiam* sui

*Statlandiae*  
nomen nouum.

(1) Pag. 71.

(2) Pag. 68.

fui reddiderat iuris, et cum filiis deinde piraticam fecerat, patre tyranno ex terra eiecto, filiis uero crucis supplicio affectis, prouinciam uindicauerunt. Videamus *H. Wolterum*,<sup>(c)</sup> qui, *lucrati sunt*, inquit, *Bremenses, Golswarden, Ezemissen*, (Statlandiae) *ceperunt et subiugarunt totam terram: et fecerunt sibi Frifones homagium, et iurauerunt fidelitatem corporalibus digitis, quod habere uellent Consulatam Bremensem pro dominis, et nunquam uellent contra eos, capitales et capitaneos, tempore perpetuo.* Res uero in *Statlandia*, a Comitibus Oldenburgicis, postea gestae, non sunt huius loci, quas, qui scire desiderat, traditas eas, legere potest, magna fide, ab *Hamelmanno in Chron. Oldenburgico.*

Redeamus ad *Stedingos*. Horum, ut *Rustrorum*, et *Ammiro- Sedingi fuerunt in*  
*rum*, Domini fuerunt, Comites, quos ab urbe, quam condi- *potestate*  
 derunt, Oldenburgicos postea uocarunt. Id testari, firmare- *Comitum*  
 que uidentur, Diplomata duo, quae in lucem produxit pu- *Oldenbur-*  
 blicam, *Hamelmannus*, in prooemio *Chron. Oldenb.* Horum alte- *gicorum.*  
 rum, *Fridericum I. Caesarem*, alterum uero, *Philippum Re-*  
*gem*, auctores habet; in utroque autem, inter testes, *Comes*  
*Elimer Ambriae et Rustringiae*, nominatur. Fidem his, *Win-*  
*kelmannus V. Cl.* tribuit optimam maximam, censetque exscri-  
 pta esse, ex *MS. Chronico Rastedensi*. At enim uero, cum in  
*Chronico Rastedensi*, a *Meibomio, V. Cl.* edito, Diplomata haec  
 non inueniantur; apud *Lindembrogium* autem, inter *pruilegia*  
*Archiepiscop. Hammaburgens.*<sup>(m)</sup> legantur, uerbis longe aliis, et  
 maxime mutatis; ibidem etiam, inter testes, *Comes Elimer*,  
 non appareat; et praeterea, in *Diplomate Friderici, Augu-*  
*sti*, male numerentur anni imperii eius, in auctoritate ea  
 aliqua esse non possunt, quamuis plane supposita pronuntiare

B 3

non

(c) Pag. 72.

(u) 168. 170. Script. Rer. Septentr.

non audeam. Sed licet Diplomata suffragari *Winkelmanno* non uideantur, res tamen certissima est, nititurque in fide ueterum optimorumque auctorum. Ita enim apud *Helmoldum*, grauem Historicum, legimus, <sup>(x)</sup> inter *Henrici Leonis*, Saxonis, hostes fuisse, *Christianum de Aldenburg*, quae est in *Ammerland*. Idem etiam ibidem scribit: *Christianus Comes de Ammerland*, collecta *Fresorum* manu, occupauit *Bremam*. *H. Wolterus* in principio *Chron. Bremens.* sic posuit: *Iudex Russtringiae*, qui nunc de *Oldenburg* nomen accepit. In *Vita Adelberti*, Archiepiscopi, Idem, <sup>(y)</sup> inquit, *Adelbertus aedificat ecclesiam in Ambria*, in loco *Wiuelftede*, et ecclesia mansit de collatione Archiepiscopi, capella uero de iure Patronatus Comitum *Russtringiae*, *Ambriae* et *Stedingiae*. Huc quoque pertinent, haec, historici eiusdem, uerba: <sup>(z)</sup> *Caesar contulit Hunoni*, Comitum *Ambriae*, et *Russtringiae*, et *Stedingiae*. In *Chronico Rastedensi*, <sup>(a)</sup> memoriae est traditum, Hunonem possedisse terram *Russtringiae*, *Stedingiae*, et *Ambriae*. In eodem libro <sup>(b)</sup> etiam haec sunt digna notatu: *Comites Russtringiae*, qui modo de *Oldenburg* uocari.

Archiepiscopi Bremens. in Stedingia habent iurisditionem ecclesiasticam, et decimas exigunt.

*Bremenses* uero Archiepiscopi, in *Ambria*, *Russtringia*, atque *Stedingia*, ecclesiasticam non modo habebant Iurisdictionem, uerum etiam praedia fructuosa, syluasque, possidebant, et in his, iure gaudebant uenandi; in fundis nonnullis ad eos pertinebant coloni; decimas praeterea fructuum, in *Stedingia*, exigebant. Diploma *Hartwici*, Archiepiscopi, scriptum A. D. MC XLIX. de palude, sita inter *Oldene* et *Berne*, inter priuilegia Archiepiscopi *Hammaburg.* <sup>(c)</sup> *Ego Hartwicus etc.* paludem, partim praeposito maioris ecclesiae *Bremensis*; partim mihi et ministerialibus, pertinentem, uendendam et excolendam, *Ioanni* et *Simoni* tradidi, et iusti-

<sup>(x)</sup> In *Chron. Sclauor. Lib. II. c. 7.*

<sup>(y)</sup> *Pag. 31.*

<sup>(z)</sup> *Pag. 41.*

<sup>(a)</sup> *Pag. 89.*



iusitiam, quam affectabant, scilicet qualem, Hollandensis populus circa Stadium habere consuevit, concessi etc. habet in plaga orientali fluuium Hursel dictum, in occidentali alium Berna (Stedingiae) uocatum. etc. Caeterum, quia ligna ad comburendum, praeposito a populo inibi manente, ex institutione pristina sunt administrata, et eadem propter agriculturam a colonis eradicanda, statuimus, quatenus omnes eorundem noualium-decimae, in usus praepositi transeant. De decima uero frugum hoc concedimus, ut undecimum aceruum, quem Hollandenses lingua sua, *Vimmen*, uocant, persoluant. Diploma Friderici Imp. Anni M C LVIII. inter priuileg. Hammaburg. (d) Vniuersi Christi nostrique fidelibus notum esse uoluerimus qualiter uenerabilis Adelbertus, sanctae Hammaburgensis ecclesiae Archiepiscopus, Serenitatem Henrici IV. Regis adiit, supplicando, quatenus forestum in Ertuebroch, atque in caeteris circumiacentibus syluis, quod diuae memoriae, eius auus Cbnradus, Romanorum Imperator Augustus, praedictae ecclesiae possidendum contulerat, amplificando confirmaret. Qui precibus eius inclinatus, foresto adiunxit, quicquid intra Warmenow, Wiseram, Aldenam et Huntam, fluuios, uenationis fieri potest, et ecclesiae sub regiae tuitionis banno, in proprium condonans, tradidit. Addidit etiam eidem ecclesiae forestum in pago Ameristum in Comitatu Vdonis etc. Confirmamus et nos, et per nostri praecepti paginam concedimus, decimas, terras, foresta, etc. In H. Wolteri Chron. Bremensi, (u) legimus: Hennicus Rex contulit ecclesiae Bremensi foresta in Ambria et in terra Fresonum, quo loco, Fresonum nomine, Rustri intelligendi sunt. Chronicon Rastedense tradit; (f) Harmicus Archiepiscopus, dedit Canonis S. Ansebarii, decimam in Grewensbrock Stedingiae. In eodem Chronico (s) legitur: Hartmicus,

(b) Pag. 99.

(c) Pag. 157. *Script. Septentr. Lindenb.*

(d) Pag. 162. l. e.

(f) Pag. 98.

(e) Pag. 31.

(g) Pag. cit.

micus, mittens de sacerdotibus et religiosis ad Stedingos, qui pro decimis et redivibus dandis, eos monerent. Alia loca, quae de decimis agunt, paullo post, proferam. In excerptis ex Chronico Bremens. Iohannis Rhode Archiepiscopi<sup>(h)</sup> scriptum est: Anno Domini D C C L X X V I I I. p̄ssintus Carolus contulit ecclesiae Bremens., Emesgoa, Wangriam, Laram, Ostringiam, Rustringiam, Statlandiam, Stedingiam, etc. prout latius in fundatione. Diploma hoc, ad quod Archiepiscopus prouocat, licet fictum sit, locus tamen, quem adduxi, egregie probat, Bremenses Archi-Praefules, recentiore etiam tempore, arrogasse sibi ius, in Rustringiam, et Stedingiam. Eadem excerpta referunt, <sup>(i)</sup> Nobilem Gerhardum, colonos capituli Bremens., in terra Stedingiae, in multis affixisse et grauasse. Propterea etiam, quoniam nimirum Stedingi, et Archiepiscopos Bremenses, et Comites Oldenburgicos, dominos habebant, auctor Chronici Rastedens. scripsit: *Stedingi suis dominis rebellare coeperunt.* Eadem legi possunt tradita, in *Historia Archiepiscoporum Bremensum.* Albertus Stadenf. in Chron. <sup>(k)</sup> Anno D. M C C I V. inquit, *Stedingi coeperunt Comiti Mauritio, et aliis dominis suis rebellare.* Sed maxime notatu digna sunt, quae Hermannus de Lerbecke in Chron. Schauenburg. <sup>(l)</sup> memoriae tradidit: *Stedingi Dominis suis rebellare coeperunt, fidem prauam, et legem abnegantes.* Hoc enim his innuere uidetur, negatis decimis, a fide, Stedingos, christiana defecisse. Ita uidelicet, his persuasum erat, quos superstitio occupauerat, secundum illa, Poetae, *Annal. de gest. Caroli M. ad an. D C C C I I I.* <sup>(m)</sup>

*Sed tantum decimas diuina lege statutas  
Offerrent, ac Praefulibus parere studerent.*

Cum

<sup>(h)</sup> Pag. 262. Tom. II. Script. R. Br. Leibnicii.

<sup>(i)</sup> Pag. 269.

<sup>(k)</sup> Pag. 299. Script. R. G. Schiltner.

Cum uero, *legem* Stedingos abnegasse, Hermannus scribit, hoc is uult dicere, obsequium eos in Comites Oldenburgicos exuisse, qui leges, quibus Stedingi uterentur, poterant indicare.

Vri uero Frefones morum fuorum libertatisque, quam *Stedingi libertatem affectant.* praecipuum humani generis bonum esse existimabant, tenacissimi erant: ita *Stedingi* quoque, Frisica natio, eandem, et retinere illibatam, et amissam reipublicae suae asserere, magnopere studuerunt. Licet enim hi sub imperio Comitum Oldenburgicorum essent, ab ultimis tamen temporibus potestatem habuere, iudices eligendi, qui controuersias, inter populum exortas, secundum consuetudines, et ex aequo bonoque, dirimerent. Hi, ut tabulis publicis fidem quoque publicam darent, eas, signo populi consignandas esse, censuerunt. *Winkelmannus* enim auctor est, (1) *Henricum Wolterum* in *Chronico Stedingorum MS.* tradidisse: tabulas superesse in tabulariis, initio Seculi XI. scriptas, confirmatasque populi Stedingici sigillo, in quo Patronus eius, S. Aegidius, in cruce pendens, appareat, addita inscriptione, *Stedingorum commune sigillum.* Quae si ueritate nituntur, (hanc autem infirmare nolo, cum is Wolteri liber lucem publicam non adspexit) omnino necesse est, statuamus, recentiore tempore Stedingis aliud plane sigillum placuisse. Etenim populus hic, quamuis bello, de quo infra dicemus, Seculo XIII. pene oppressus esset, in eam tamen seruitutem detrudi non potuit, ut auita libertas, suis uiuendi moribus, et licentia, iudices ex populo legendi, ei plane praecideretur. Docet hoc illa compositionis tabula, (quam aliquoties iam tetigi,) Seculo XIV. iussu iudicum populi Stedingici  
C diuul-

(1) *Pag. 510. Tom. I. Script. Rer. Germ. Meibom.*

(m) *Pag. 28. Script. R. G. Schilter,*

(n) *Notit. VVestphal. Lib. II. c. 6.*

diulgata. Sigillum, quod ei impressum est, Deiparam, ostendit, nimbo effulgentem, manibusque Iesum, puerulum, tenentem; adstat angelus sceptriger, qui indicem mediumque digitos tollit, quasi Mariam allocuturus; in margine uero signi haec leguntur uerba: *S. Stedingorum Russtringie.*

*Libertati  
Stedingo-  
rum siru-  
unt insi-  
dias qui-  
dam uiri  
equestris  
ordinis.*

Cum uero Stedingorum libertati uiri quidam equestris ordinis, instigantibus forte eos Comitibus Oldenburgicis, quorum clientes erant, insidias struerent, rusticam plebem uexarent, bona diriperent, puellas uitarent, arciumque praefectis et uillicis, eadem perpetrandi, amplissimam facerent potestatem, Stedingi, anno MCLXXXVII. arma capiunt, arces *Lichtenberge* et *Line* dolo occupant, incendunt, interficiunt homines nobiles, libertatem tuentur, eamque ut retineant integram, fossam ab *Ochtmunda* usque ad *Lintow* uillam ducunt, pontem porro *Ochtmundae* imponunt, eumque muniunt, ne ui inuadere in *Stedingiam* *Bremenses* possint. *Chronicon Rastedens.* (o) *Archiepiscopi Hartwici et Donatiani Abbatis temporibus, Stedingi suis dominis rebellare coeperunt. Primo tamen dictus Archiepiscopus surda aure pertransit, licet postea uiriliter insurrexerit. Rebellio Stedingorum ita cepit ortum: Erant duo castra in terra Stedingorum, uidelicet Lichtenberge et in Line, in quibus militares habitabant, quorum aduocati per insolentiam plurima mala per oppressionem puellarum et mulierum agere nitebantur. Vnde incolae terrae illius uidentes mala sibi imminere, consilium inierunt. In uno autem loco conuenerant, qui *Brockdick* dicitur, nocturno tempore, ubi tunc magna silua fuerat, ut occideret pars partem orientalem, spoliare deberet, et e conuerso: sicque quiuis eorum utrumque castrum ascenderet pro querimoniis*

(o) Pag. 28.

(p) Cap. 6. pag. 144.

monii offerendis. Et cum secundum hoc consilium castrum ascendissent, multiplicari singularim in numero, quosdam de suis dominis occiderunt, quosdam uero male tractarunt: utrumque castrum incendio uastauerunt. Quod cum illi trans Hantam audierant, gaudenter cum istis conspirantes, factoque foedere coeperunt suis dominis pariter rebellare. Unde pro suis propugnaculis fossatum magnum Steingraue dictum ab Ochmunde euntem usque in Linthow fodientes, ad instar magnae domus in altitudine, et litus eius intrinsecus posuerunt, feceruntque portem suam Ochmundam ualde fortem: unde terram circumiacentem Bremam libertati suae totam subdiderunt, omnes quoque militares de terra sua expulerunt: quosdam tamen de Keibusen pro auxilio receperunt. Per portam etiam lapideam unum tantum de terra sua exitum habuerunt. Eadem fere inueniuntur scripta apud Ioan. Schiphowerum, (p) qui gesta ad annum MCLXXXVII. refert. Et sine dubio a uero aberrauit Hamelmannus, (q) tradens, euenisse haec circa annum MCLIX. Hartwicum I. enim, Archiepiscopum Bremensem, cum Hartwico II. confudisse uidetur. Nam relatum est in Chronico Rastedensi, (r) Henricum Leonem, principem Saxonem, tempore rebellionis Stedingorum rediisse in patriam. Sed id est certo certius, Henricum memoratum, Anglia relicta, in Saxoniam anno MCLXXXIX. uenisse.

Arces quidem eas, quas obseruauimus expugnasse Sted- Eam tuen-  
dingos, felicibus recuperauit armis Ioannes, Comes Oldenbur- tur Stedin-  
gicus, sed cum is, paullo post haec gesta, uitam cum morte com- gi, et iu-  
mutaret, hi, qui ab obsequio defecerant, cristas coeperunt tol- gum excu-  
lere, iugumque, quod impositum sibi esse rebantur, plane tiunt.  
excuf-

C 2

(q) In Chron. Oldenb. Part. I. c. 18. p. 58. (r) Pag. 99.



*Decimas  
deinde Ar-  
chiepisc.  
Bremensi  
negant.*

excufferunt. Ita soluti, et in libertatem uindicati, quoniam existimabant, uiuendi, ut uellent, maximam se habere potestatem, re sua ex uoto constabilita, et amplificata fortuna, decimas etiam, quas Bremensi Archiepiscopo, Canonicis, monachisque, dare consueuerant, subdixerunt, et sacerdotes, quos Archiepiscopus, eo mandato instructos ad eos miserat, uiderent, ut ad obsequium redirent Stedingi, ignominia affecterunt maxima. Quo facto, et crabrones irritarunt, et odium iramque uehementem in se totius cleri commouerunt. Cum etiam, ante haec tempora, Stedingi discreti ac diuersi colerent, iam, ut unitis uiribus libertatem defenderent, coeperunt iunctis sedibus uti, et, prope aggerem pontemque extructum, connexis et cohaerentibus aedificiis, uicos locauerunt. Magnus ad eos deinde quotidie hominum confluxit numerus, qui eadem frui cupiebant libertate. Et fuere forte inter hos etiam, dogmatibus Albigenisum addicti, quorum secta, eadem iam aetate, propter cleri nimiam cupiditatem, corruptos mores, disciplinae ecclesiasticae neglectum, incredibilem, quae inualuerat, superstitionem, peruersamque doctrinam, per omnem pene Europam maxima coeperat incrementa. Hi igitur, populi Stedingici uoluntatem obstinatiores animaduertentes, opinionibus iis, quas imbibebant animo, omnem facile Stedingiam opplere potuerunt. Sed attendamus ad uerba *Chronici Rastedensis*: (s) *Hartmicus pius Praesul, mittens ibi quosdam de sacerdotibus et religiosis, qui pro decimis et redditibus dandis Stedingos admonerent, foede eos tractarunt: nam nudis natibus eos, quasi in aggere congregantes, traxerunt. Stedingi de sua libertate ditari, quia nec decimas, nec tributa Canonicis ecclesiarum et claustris, aut aliquibus dominis spiri-*

(s) Pag. 98. 99.

(t) Albert. Stadenf. pag. 298.



*spiritualibus persoluerunt. Omnes namque uillae prope paludem, uin-*  
*ponte, apud aggerem, tunc in morem oppidorum constructae fuerant:*  
*in quibus tantus populus ex alienis partibus propter suam libertatem*  
*confluxerat, ut omnes urbes uicinarum partium subuertere conarentur.*

Patet ex his, *decimas*, quas detrectabant, Stedingis ingens con-  
 flasse odium. Et cum ita persuasum esset omnibus, has ipsum

*Stedingi  
 propter de-  
 cimas ue-  
 niunt in  
 crimen  
 haereticae  
 prauitatis.*

Numen imperasse, populus diuinae legis religionisque con-  
 temptor, in crimen haereticae prauitatis non potuit non ueni-  
 re. Hartwicus sane, Archiepiscopus Bremensis, cum nihil  
 precibus efficeret, et bellum uiribus suis, et solus, sustinere non  
 posset, in orientem anno MCXCVII. proficiscens, (\*) Rom-  
 mam, in itinere, adiit, et a summo Pontifice impetrauit, ut contra  
 Stedingos, tanquam haereticos, liceret ei milites legere cruce  
 signatos. Nam, pro more eorum temporum, quoties ob reli-  
 gionem, et iura sacra uiolata, a criminis reis repetendae poenae  
 esse uidebantur, auctoritate Pontificia, per omnem uiciniam  
 homines ad facram uocari solebant militiam. *Chronicon Raste-*

*dens. (u) Hartwicus pro hac ipsa rebellionem profectus Romam, honorifice*  
*a Papa susceptus, deplanxit peccata sua, et imperrauit praedicationem*  
*crucis contra Stedingos, et ipse ulterius Hierosolymas properauit. Li-*  
*gerendum*  
*cet igitur ab eo tempore maiora pericula Stedingis extimescen-*  
*da esse uiderentur, animis tamen hi minime cecidere, uerum*

*Bellum sa-  
 crum ad-  
 uersus eos  
 esse, Ponti-  
 fex decer-  
 nit.*

etiam, cum cernerent monachos sacerdotesque, Bremensi Ar-  
 chiepiscopo addictissimos, et iniurios in populum, et irreligio-  
 fos, esse, non dubitarunt, eos, uel in exilium agere, uel ad mor-  
 tem dare. *Chronicon Rastedens. (x) Quidam fratres diutius praedi-*  
*cantes (de decimis) martyrisati sunt. Quae historici uerba id*  
*uolunt, fratres nimirum hos, decimas reditusque non sine con-*

C 3

uitio

(u) Pag. 99.

(x) l. c.



uitio efflagitasse a Stedingis, increpuisse eos perfidiae, uerbis forte infamiam flagitiumque facientibus, dirisque praeterea, ut moris erat eo tempore, deuouisse. Profecto eo audaciae, siue dementiae potius insaniaeque, prouectum sacerdotem quendam legimus, ut, solemni Paschatos die, faeminae cuidam Stedingicae, honestissimo loco natae, ad aram accedenti, numulum, quem ab ipsa pridie acceperat, ad exprobandam oblati muneris exilitatem, pro eucharistia, in os ingereret. Faemina, cum numum deglutire non posset, pauore maximo correpta, quod acceperat ab infano sacerdote, uerecunde in ore tenuit, ueniensque domum, ne religionem uiolaret, in linteamen purissimum expuit. Re autem intellecta, maritus, homo nobilis, sed ferox, tantam sacerdotis malitiam, tantumque scelus, morte eius expiauit. *Pontanus* (y) id, et *Hamelmannus*, (z) narrant ex monumentis rerum, in Stedingia gestarum, fide dignissimis, quamuis incertum sit, quo anno seculi, homo nefarius, facinore flagitioso perpetrato, fecerit, ut populus Stedingorum iracundia magis exardesceret. Ego uero, si diuinare licet, maximum scelus, anno quarto Seculi XIII. susceptum esse, existimo, cum in annalibus scriptum inueniam, eo potissimum tempore Stedings nouam magnamque commouisse feditionem. Est enim probabile, personas tum omnes, sacras diuinisque res peragentes, postquam exiit et in uulgus emanauit facinus, populo redditas esse maxime inuisas. *Albertus Stadenf.* (a) *Anno Domini*, inquit, *MCCIV. Stedingi coeperunt Comiti Mauririo et aliis dominis rebellare.* Idem refert *Auctor Historiae Archiepisc. Bremens.* (b) *Henr. Wolterus* uero in *Chron. Bremens.* (c) addit,

(y) In *Histor. Geln. lib. 6. pag. 137.*(z) In *Chron Oldenb. Part. II, c. 1. p. 98.*(a) In *Chron. pag. 299.*(b) *Pag. 95.*



addit, Hartwicum, Archiepiscopum Bremensem, tunc quoque temporis bellum Stedingis intulisse, sed sub imperium eos non potuisse redigere. *In eodem, inquit, anno, Stedingi opposuerunt se Archiepiscopo, et capitulo eius, resisterunt etiam principibus circumquaque vicinis, et Archiepiscopus fecit expeditionem contra Stedings, sed parum lucratus est.* Intelligimus autem ex his, Archiepiscopum, Pontificis Romani iussu, uicinos principes ad arma uocasse, ut bellum sacrum contra haereticam nationem gererent. Quod bellum recrudit anno seculi VII. quo idem Hartwicus cum multitudine hominum, cruce signatorum, subito quidem inuasit Stedingiam, sed, accepta magna pecuniae summa, pacem mox composuit. Itaque neminem dubitaturum esse existimo, Stedings hoc tempore, non aliam ob causam, in haereticorum hostiumque ecclesiae numero fuisse, quam propter hanc solam, quod ab Archiepiscopo ad exigendas pecunias missos homines finibus suis arcuerunt: qui tamen si caute, et in tempore, aurum argentumque didicissent negligere, optimam famam laudemque didicissent negligere, optimam famam laudemque didicissent negligere, optimam famam laudemque didicissent negligere. *Albertus Stadens. (d) Hartwicus Bremensis Archiepiscopus MCCVII. congregato exercitu Stedings inuasit, sed pecunia accepta rediit. Eadem scripta inuenies apud Auctorem Histor. Archiepisc. Bremens. (e) Solet enim is Albertum exscribere. Significantius adhuc rem gestam enarrat H. Wolterus in Chronico Bremens. (f) In anno MCCVII. cepit Archiepiscopus Stedings XX. sed accepit ab eis ibesaurum, ut non deleret ista uice eos,*

Maxime autem res *Stedingerum* conuersae sunt, cum anno eodem, quem memorauimus, Hartwicus II. Bremensis Archie- *Stedingi amici et foederati sunt ecclesiae Brem.*  
Praeful

(c) Pag. 55.

(d) Pag. 299.

(e) Pag. 95.

(f) Pag. 55.

Praeful uitam cum morte commutasset. Tunc enim *Scedingos*, quos paullo ante, et Pontifex, et ecclesia Bremensis, haereticos pronuntiauerant, ex inimicis amicos et foederatos eiusdem ecclesiae factos esse legimus. Consultaerant diu multumque de eligendo Archiepiscopo canonici, cum oriretur inter eos contentio, Bremenensesque, anno MCCVIII. Waldemarum, regii sanguinis uirum, Episcopum antea Slesuicensem, sed a Danis in exilium actum, eligerent, Hamburgenses uero, Gerhardum, Episcopum Osnabrugensem, postularent. Waldemarum, qui, eo tempore, Bononiae uiuebat, ut cum Musis se delectaret, intellecta electione, ad Pontificem Romanam proficiscitur, confirmationem ab eo petiturus. Huic licet initio Pontifex faueret, ratam tamen deinde electionem habere noluit, ne Regis Danorum offenderet animum. Is enim legatum ad urbem miserat, qui certiore redderet Pontificem, Waldemarum, iure iurando dato, Regi sanctissime promississe, quod nullo in loco, qui Danis propter uicinitatem sit suspectus, ullo tempore morari uellet, ne uidelicet nancisceretur aliquando occasionem, iniurias, a Danis sibi illatas, ulciscendi. Asserebat uero legatus, Bremam ciuitatem, ad insidias, Danico regno struendas, esse opportunissimam. Waldemarum, mutato Pontificem animo esse, sentiens, Roma Italiaque relicta, magnis itineribus in Germaniam ad Philippum, Regem, contendit, quem sciebat, et Ottoni, aemulo, et huius foederato, Danorum Regi, infensissimum esse. Probat Philippus, Rex, Waldemari electionem, eumque Bremam mittit, literisque, ad Bremenenses scriptis, populum monet, summa ui Archiepiscopum defenderet. Is etiam regio mandato satisfactorius, uenientem ad urbem, Waldemarum, maximo cum gaudio honoreque excepit. At enim uero Pontifex iratus, Waldemarum percutit

tit

tit anathematis fulmine, Bremensibus uero interdicat, ne sacra  
 in urbe peragant, et Gerhardum Osnabrugensem Archiepiscopum  
 Bremensem nominat. Ad arma deinde itum est, causamque  
 Waldemari, aduersus Gerhardum, cum Bremensibus, Bernhardus,  
 Saxoniae Dux, et *Stedingi* etiam, oblati sine dubio  
 conditionibus optimis, defendendam susceperunt. Mox *Stedin-*  
*gi*, arcto foedere Waldemaro iuncti, anno MCCXII. arces  
 Gerhardi capiunt, easque solo aequant; cumque aestimare ui-  
 res suas didicissent, anno sequente, spe praedae rapinaeque,  
 terras omnes ad Archiepiscopos pertinentes, ferro atque igne  
 longe latissimeque uastarunt. Cepit quidem eodem fere tem-  
 pore *Stedings* nonnullos Hoyensis Comes (is cum Gerhar-  
 do foedus inierat) iussitque capite puniri, sed eo supplicio magis  
 omnes exacerbauit. Nam cum paullo post Gerhardus arcem  
 Slutter in *Stedingiae* confinio aedificasset, ne populabundi hos-  
 tes excurrerent, *Stedingi* infestis animis eam expugnant et de-  
 moluntur. Animaduertens autem Gerhardus, inimici popu-  
 li uim nec debilitari nec frangi posse, oratoribus missis occul-  
 te coepit cum eo de pace agere, et, quod facile est ad conii-  
 ciendum, oblati conditionibus ualde bonis, iisque multo me-  
 lioribus, quam quas Waldemarum dederat, anno MCCXVI.  
 feliciter hoc effecit, ut *Stedingi*, Waldemari, cui haecenus stu-  
 duerant, Bremensiumque, partes desererent, censerentque Ger-  
 hardum eum esse, ad quem Archiepiscopatus honor iure opti-  
 mo maximo pertineret. Vertunt itaque *Stedingi* arma aduersus  
 Waldemarum et Bremenses, hosque, quia bellum timebant  
 calamitosum et exitiale, breui temporis momento eo adigunt,  
 ut anno MCCXVII. pace et foedere cum *Stedingis* facto,  
 Waldemarum Brema quoque expellant. Consulendi sunt *Arnol-*  
*dus*

*noldus Lubecensis in Chron. Slawor. (g) Albertus Stadenſis in Chron. (h) Auctor Hiſtor. Archiepiſcop. Bremenf. (i) H. Wolterus in Chron. Bremenf. (k) Albert, Krantzius in Metropol. (l)*

*Stedingis  
propter de-  
cimam ite-  
rum bellum  
inſert Ger-  
hardus II.  
Archiepi-  
ſcopus.*

Erant iam in magna potentia Stedingi, illamque haere-  
ſeos maculam, quam inuſſerat iis antea Archi-Praeful Bremen-  
ſis, eluerant, diſcordiarum praeterea memoria uidebatur obli-  
uione eſſe deleta, quoniam ipſi operam ſuam eccleſiae Bremenſi  
locauerant, effecerantque armis uictoricibus, ut a metu ea respira-  
ret, tranquillitateque fruereſetur. Sed non licuit populo eſſe tam  
felici, ut diuturna pace uteretur. Gerhardo enim Archiepi-  
ſcopo, anno MCCXIX. Francofordiae, qua in urbe tum comi-  
tata habebantur, mortuo, ſucceſſit Gerhardus alter, e gente  
Comitum Lippiae, uir bellicoſus. Auctor *Chron. Raſtedenſis.* (m)  
*Hic Gerhardus, inquit, uir nobilis et generoſus Comes, omni honeſta-  
te praeditus, amicis amicus, inimicis ſeuerus perſecutor, extitit, qui  
gladio ſeculari, plus, quam ſpirituali, ſuam eccleſiam et terram defen-  
debat.* Is uix terras, ad Archiepiſcopos pertinentes, in potesta-  
tem acceperat, cum Bremenſes priuilegiis priuare, ueſtigales-  
que eos facere, uellet. *Henricus Wolterus in Chron. Bremenſis.* (n) *An-  
no MCCXX. Gerhardus incoepit ciuile bellum cum ciuitate Bremen-  
ſi, et uoluit eam ab antiquis priuilegiis plus ſubdere, et telonia et exa-  
ctiones ad ſiſcum ſuum trahere; uoluit habere telonia ab omnibus ne-  
gotiatoribus per flumina Weſere uenientibus.* Cupiditate incenſus  
plura habendi, arma deinde, anno MCCXXI. conuertit in  
*Stedingos.* Hi in gratiam redierant cum eccleſia Bremenſi, Ger-  
hardi

(g) Lib VII. c. 12. 13. pag. 736. ſeq. Tom.

II. Script. Rer. Brunſu. Leibnit.

(h) Pag. 300. ſeq.

(i) Pag. 96.

(k) Pag. 55. ſeq.

(l) Lib. VII. cap. 36.

hardi I. tempore, qui eorum potissimum auxilio Waldemarrum, acmulum, superauit. Iam uero res de *decimis* iterum adducitur in controuersiam. Has, ut est uero simillimum, Gerhardus I. exigere non potuit, quod in sumptus bellicos plures Stedingos pecunias erogasse sciebat. Gerhardus II. uero, iure suo usurus, postulat *decimas*, populoque detrectanti eas, bellum infert. Stedingi, ut bellum id, et felicius sustentarent, et maximis uiribus gererent, foedus ineunt cum Ottone Luneburgico, cui ueteres erant inimicitiae cum Archiepiscopis propter comitatum Stadensem. Sed feliciter eo tempore Archiepiscopus contra Stedingos pugnat prope Hoiam, arcemque Ottersbergam Comitis de Welppe, qui cum Stedingis aduersus Gerhardum steterat, capit. Otto autem Dux auxilium Stedingis fert contra hostem, totamque Bremensem terram ad exitium et uastitatem uocat. *Albert. Stadenf.* (o) *A. Dom. MCCXXI. castrum Otterenberg a Bremensi Archiepiscopo obsidetur et capitur. H. Wolterus in Chron. Bremens.* (p) *Mist Dux Luneburgensis ministeriales suos, et incendit terram usque ad Bremam, quia in adiutorium fuit Stedingis propter odium, quod habuit ad Gerhardum Archiepiscopum. Herman. de Lerbeke:* (q) *His diebus Gerhardus nobilis de Lippia Archiepiscopus Bremensis, contra Stedingos uiriliter dimicans, iuxta Hoiam multos bello deuicit, et castrum Ottersberg, quod fuerat Comitis de Welppe, cepit. Contra hunc Gerhardum, Otto Dux de Luneburg bella mouet, Stedingorum parti et malitiae in odium Episcopi fauens, terram usque Bremam incendiis ac spoliis, maxime propter Comeciam Stadensem, deuastauit.*

D 2

Quas

(m) Pag. 100.

(n) Pag. 57.

(o) In Chron. pag. 302.

(p) Pag. 57.

(q) In Chron. Schawvenburg. pag. 510.  
Tom. I, Script. Rer. German. Meibom.

*Strenue defendunt libertatem, sed crimine haereticos sunt infames,*

Quas res egerint *Stedingi* ab eo tempore ad annum usque MCCXXX. tacentibus annalibus, ignoramus. Decimas certe non dederunt, imo reipublicae suae absolutam studuerunt libertatem asserere, uti probant ea, quae *Auctor Chronici Rastendens.* (1) tradidit. Verum propter hanc contumaciam, his praefertim temporibus, quibus superstitione omnem multitudinem regebat, male non potuerunt non audire, et iterum in eorum numero esse, qui, propter haeresin, ardentibus rogis imponendi uidebantur. Etenim, si scelus haeresisque tum fuit, statuere, quod liceat quolibet die carnes comedere, largius grauiusque profecto *Stedingi* peccauerunt, dum *decimas* lege diuina mandatas, personis, sacra facientibus, subtraxerunt. *Mutius* (2) autem auctor est, hos, qui ita censuerant, carnibus, statis diebus, abstinendum non esse, igni datos esse. *Fuit*, inquit, anno MCCXII. haeresis in *Alsatia*, qua seducti erant nobiles et uulgus. *Affirmabant quolibet die licere carnes comedere, in piscium esu immodico tam inesse luxum, quam in reliquis carnis generibus. Item male facere, qui contrahere matrimonia prohiberent, cum Deus omnia creauerit, et sancta omnia sint, cum gratiarum actione accepta a fidelibus. Hi pertinaciter opinionem illam suam defendebant, et credebant multi illis, nec dubitabant blasphemias dicere in sanctissimum Dominum Papam, qui prohiberet ecclesiasticis contrahere, et quibusdam diebus a cibis corporum humanorum constitutioni idoneis. Quapropter Pontifex Romanus praecipit, eiusmodi homines e medio tollere. Suntque uno die circiter centum ab Episcopo Argentoratensi combusti. Stedingos tamen, licet maxime infames essent labe haeretica, Gerhardus, cui bellum gerendum contra Danos erat, sub iugum mittere non potuit. Interim uero omnem is lapidem mouit, ut aduersus*

(1) Pag. 100.

(2) In Chron. Germ. Lib. XIX. p. 809. Tom. II. Script. R. G. Piffor.



fus eos, quos sciebat vicinis dudum inuisos esse redditos, comparare posset exercitum, quocum pro ipsa diuina religione beligeraret, et ecclesiae Bremensis contemptores, aurum argentumque, ne in aerarium Archiepiscopi id inferri posset, cura paene nimia custodientes, in ordinem cogeret. Eriguntur igitur, more, ea aetate, recepto, cruces, turbulentae a monachis conciones habentur, uehementissime contra Stedingos, tanquam diuinae crucis inimicos, declamatur, erratorum omnium uenia et felicitas denique perfectissima et aeterna his promittitur, qui arma capere, et cruce sacra insigniti, uitam pro ea, uelint, profundere. Causam belli si quaeris, eam *decimas* fuisse reperies. Nec negant id monachi, *Godefridus Colonienfis*, et *Rastedenfis*. Factus tandem est Gerhardus uoti sui compos anno MCCXXX. Eo enim multi, sacrae crucis signo muniti, media hieme Bremam uenerunt, bellum Stedingis, cum fluuioli ripas gelu iunxissent, illaturi. Exercitus Ducem Archiepiscopus fratrem Hermannum, Lippiensem Comitem, creat, uirum spectatae uirtutis. Ipse uero Gerhardus, praesentia sua militibus animum additurus, in fratris contubernio agit, et quod mireris in homine religioso, aduersus hostem, die natali Domini, exercitum duci iubet. At uero Stedingi collatis signis pro patria libertateque totis uiribus depugnant, exercitusque Ducem, Hermannum, in primo congressu interficiunt. Quae caedes tantum mox terrorem et Archiepiscopo et militibus iniecit, ut abiectis armis fugam omnes foedam capessent, Stedingisque uictoriam concederent. *Cbronicon Rastedenf. (1) Gerhardus releuare uolens iniuriam secularium et spiritualium, monachorum et monialium, de detentione decimarum et reddituum ac tributum*

*Stedingi  
pugnant  
fortissime  
et uictoria  
re-  
portant.*

D 3

*uasal-*

(1) Pag. 100. Tom. II. Script. Rer. Germ. Meibom.



uosalloyum et ministerialium soluendi, ipse exercitum magnum et ualidum contra Stedingos, inimicos crucis Christi, applicuit, et Hermannum, nobilem de Lippia, filium fratris sui, uirum strenuum et fortem, primicerium constituit, qui uiriliter bellum duxit. Sed bello hinc indeque ducto isdem strenuus occubuit gladio Stedingorum. Albertus Stadenf. in Chron. (u) Anno Domini MCCXXX. Bremensis Archiepiscopus Stedingorum insolentiam repressurus, die natali Domini ualido bello eos aggreditur, ibique frater eius Hermannus, dominus de Lippia, solus occiditur. Vnde subita confusione facta, ille totus bellicus apparatus dissoluitur. Ex Alberto idem refert Auctor Histor. Archiepisc. Bremens. (x) Henr. Wolterus: (y) In diebus, inquit, nataliis Christi, nauigio uenit Archiepiscopus cum fratre suo Hermanno de Lippia ad Stedingiam, et egit bellum cum Stedingis, et interfectus fuit Hermannus Comes solus, et ideo illa uice cessit bellum, et recessit expeditio absque lucro a terra illa. Herm. de Lerbeke in Chron. Schwabenb. (z) Hermannus interficitur, et Episcopus cum confusione reuertitur. Praeterea ex Bothone (a) discimus, Stedingis tunc quoque auxilia tulisse Ottonem Lüneburgicum. Male autem auctor is, bellum hoc, anno MCCXXXIII. gestum esse, tradit. Ita uero rem refert: *De Greve van Oldenborch, de Greve van der Lippe de hulpen dem Bischoppe, Hertoghe Otto to Sassen unde eyn Here to Lüneborch de halp den Stedingh, so dat se waken to samende kemen, unde slogen sick unde worden gesehoren vor den borgen. So dat in dissem Krige wart dot gestlagen unde gesehoren, Greve Hermen van der Lippe des Bischoppes broder.* Maxime errat auctor (b) fragmen-

(u) Pag. 306.

(x) Pag. 97.

(y) In Chron. Bremens. pag. 58.

(z) Pag. 510. Tom. I. Script. R. G. Meibom.

(a) In Chron. pictur. Brunswicens. pag. 361. Tom. III. Script. Brunsw. Leibnitii.

(b) Pag. 218. Tom. III. Script. Brunsw. Leibnitii.



gmenti *Chronici Bardenicens.* Ottonem inter foederatos Gerhardi numerans: *Anno 1231. 10 10ch Here Otto van Lüneborch mie Biscop Gerde van Bremen jegen de steder Kerter, und brante dat Land der Bremer dorch wente vor de stadt.* Haec lucem capiunt ex his, quae supra ad annum MCCXXI. dicta sunt.

Stedingi, hac pugna pugnata, et rempublicam conferuarunt, et auctoritatem suam magis apud omnes amplificauerunt. Tanta uero populi fortuna fecit, ut et Archiepiscopus, et ipse Pontifex summus, ad cuius opem Bremensis ecclesia confugerat, de opprimendo eo consilia agitent. Gregorius IX. ideo anno MCCXXXI. leges haereticis maxime seueras opposuit, (c) eosque omnes anathematis fulmine percussit. Idem praeterea mandauit, *ne cuiquam laicae personae publice uel priuatum de fide catholica disputare liceret.* (d) Hoc, aduersus haereticos, edictum Pontificium uidit etiam *Jacobus a Königsbouen,* (e) qui ad annum MCCXXXI. obseruat, *Ketzere an dem Glauben murent durch die Land geechtet.* Cum uero, lege Friderici II. Caesaris, (f) hi, quos ecclesiae communionem Pontifices priuarant, post interuallum hebdomadarum sex, prosciberentur quoque, dubium non est, quin et Stedingi proscripti hostesque imperii iudicati sint. At enim uero hi, et fulmen Pontificis, et Caesaris iussum, contemtim audiuerunt eluseruntque, quod intelligimus ex his, quae refert *Auctor Chronici Rastedens.* (g) *Stedingorum tanta erat, inquit is, proteruitas, quod etiam in derisionem sanctae sedis Apostolicae, et Sacri Imperii, de numero suorum atrocissimos*

(c) Vid. C. *excommunicamus, de haeret.*

(d) *Raynaldus Annal. an. 1231.*

(e) *In der Elfsassisch. Chronick cap. 6. pag. 398.*

(f) *Frider. II. Constitut. de iurib. princip. ecclies. cap. 6. pag. 113. Tom. II. Iur. Publ. Schilter.*

(g) *Pag. 101. 102.*

mos nequam quosdam Caesareo nomine appellabant, quosdam Papali, quosdam Archiepiscopali et Episcopali, quosdam Praepositorum nomine nequam appellabant, dicentes, tu sis Caesar, tu Papa, tu Archiepiscopus, tu Praepositus, in uilipendium ecclesiasticae disciplinae, huiusmodi de se titulos scripserunt, et cum scripta mittebantur huiusmodi dignitatis nomina habentia in ironiam acceptabant. Gerhardus, Archiepiscopus, anno MCCXXXII. dirutos arcis Slutere muros reficiendos curat, armatosque in praesidiis collocat, qui, et hostium uim a terris Bremensibus prohiberent, et, si fors ita ferret, Stedingiam depopularentur. Sed Stedingi, parti ante decoris memores, arcem uix instauratam ui capiunt, iterumque euertunt. *Albertus Stadenf.* (h) Anno Domini MCCXXXII. *Bremensis Archiepiscopus coepit aedificare castrum Slutere contra Stedings, sed ipsi illud protinus euerterunt.* *Henr. Wolterus:* (i) *Archiepiscopus coepit aedificare castrum Slutere contra Stedings, sed in breui destruxerunt iterato.* *Herm a Lerbeke:* (k) *Castrum Slutter per Stedings capitur, et in odium Episcopi destruitur.* Addatur *Historia Archiepisc. Bremens.* (l) Itaque, cum tanti undique terrores, arce munita diruta, circumstarent, omnibusque appareret, non odio solum, sed contemptu etiam, nomina Pontificis, Caesaris, aliorumque, maximo laborare apud Stedings, placuit *Gregorio IX.* armis sacris defendi publicam rem ecclesiasticam. Is igitur literas (m) eodem anno ad Episcopos, Mindensem, Lubecensem, et Raceburgensem, mittit, quibus flagitia Stedingorum enarrat, et Praesules hortatur, ut, pro concione, hominum animos incitent ad bellum sacrum gerendum. Sed ipsam intueamur epistolam, ut intelligi possit, quid crimini Pontifex Ste-

(h) In Chron. pag. 306.

(i) In Chron. Bremens. pag. 58.

(k) In Chron. Schavvenb. pag. 510.

(l) Pag. 97.

Stedingis dederit. *Intenta fallacis, ait Gregorius, Satanae malitia reperiri nesciens in periculis otiosa, quosdam, qui Stedinghi uocantur, in Bremensi provincia constitutos, sicut dolentes audiuimus, et referimus cum horrore, a notitia creatoris ita reddidit alienos, et amentes effecti, et quadam insania uentilati, relicta semita ueritatis, in iniuium adeo sunt deducti, quod nec Deum nec homines reuerentes, doctrinam sanctae matris ecclesiae uilipendunt, eius libertatem impugnant, et dediti crudelitatis officio, quasi de serinis uberibus fuerint enutriti, nulli parcunt sexui uel aetati. Quid ultra? effundentes sanguinem sicut aquam, clericos et religiosos ferali more lacerant, et quosdam ad instar crucis affigunt parieti, in opprobrium crucifixi. Ipsi etiam, ut expressione maiori se perfidos indicent, et divinae potentiae contemptores, salutis nostrae uaticum, quo uita tribuitur, et mors tollitur peccatorum, horribilius quam deceat exprimi, pertractantes, quaerunt responsa daemonum, simulacra cerea faciunt, et in suis spurcitiis erroneas consulunt Pithonissas, etc. Dat. Anagninae IV. Kal. Nouembr. Pontif. nostri anno VI. Monet deinde Episcopus Gregorius IX. ut populos pro concione stimulent ad arma corripienda contra daemonis cultores nefarios, promittantque bellum suscepturis praemia indulgentiarum.*  
 Idem iam antea epistolam ad Episcopos Paderburnensem, Hildesensem, Verdensensem, aliosque, dedit, praecepitque, ut consilio auxilioque adessent his, qui, Pontificis mandato, exercitum essent collecturi. Hanc edidit in lucem Lindenbrogius inter privilegia eccles. Hammaburgens. (n) estque digna, quae hic legatur. En illam: *Gregorius, Episcopus, seruus seruorum Dei, uenerabilibus fratribus Paderburnensi, Hildesemensi, Verdensi, Monasteriensi, et Osnabrugensi,*

E

Episco-

(m) Lib. VI. ep. 151. Vid. Raynald. Annal. an. 1232.

(n) Pag. 171. hac inscriptione de Descriptione Stedingorum.



*Episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem. Clamante ad nos dudum Bremensi ecclesia contra perfidiam haereticorum, qui Stedingi uocati, fideles populos regionis illius ferali more lacerant et extinguunt, nos uenerabilibus fratribus nostris, Raceburgensi, Mindensi, et Lubecensi, Episcopis, quibus praedicationis officium est in dioecesibus uestris ab Apostolica sede commissum, mandauimus, quod per easdem dioeceses peccatorum ueniam fidelibus pollicendo, ipsos contra praefatos haereticos concitarent, ut per eorum auxilium illi, auctore Deo ad gratiam conuersionis accelerent, uel in confusionis foueam deducantur. Ut ergo dicti Episcopi plenius et efficacius ualeant, quod mandauimus adimplere, fraternitati uestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, cum agatur fidei negotium, quod cunctis debet esse fidelibus, et Praelatis praecipue speciale, in eodem negotio dictis Episcopis efficaciter adsistatis, impendentes eis utile consilium, et auxilium oportunum. Datum Anagninae XIV. Kal. Febr. Pontif. nostri Anno VI. (o) Stedingos sanguinem effudisse, necesseque sacras personas, negari non potest. Bellum enim gerebant aduersus hostes, existimabantque, belli iure in eos se etiam recte uti posse, qui uehementer clamabant, non oportere Stedingos uita communique spiritu frui, omnemque praeterea populum uicinum concitabant ad arma. Nec hoc apud posteritatem infamare Stedingos potest, quod de salutis uatico Pontifex refert; cum ex superioribus sciamus, sacerdotem impium irreligiosumque Stedingicae faeminae, numum pro salutis aeternae uatico, non eucharistiam, dedisse. At hi, qui hoc agebant, ut citissima ruina populi fortunis impenderet, mentita et falsa ad Gregorium IX. perscripserunt.*

(o) Epistolam quoque edidit Cl. Meibomius in not. ad Chron. Schaeffenb. p. 534. Sed uariat ibi subscriptio; data enim

dicitur an. 1231. An. V. Pontif. Gregorii. Meibomium sequitur Heineccius Antiquit. Gosl. Lib. II. ad an. 1222. p. 229.

runt, Hoc etiam facile persuadere mihi possum, uiros quosdam religiosos ad *crucis similitudinem* parietibus affixos fuisse; sed male propterea opinatur Gregorius, factum id esse in opprobrium Seruatoris, cruci affixi. Nam Stedingi hos, qui circumferebant cruces, nomen crucis magna uoce clamabant, cruce denique uulgus signabant, ut impetum in Stedingos faceret, ita punire uoluerunt, ut morientes ipsi crucis imaginem uiderentur repraesentare. Idem fere patrasse nouimus Fridericum II. Caesarem, cum ei Pontifex cruce signatos milites opponeret. (p) De *daemonum responsis, simulacris cervis, et Pythomissis*, quae addit Gregorius, a S. Dominici familia excogitata fictaque esse uidentur. Postquam enim monachis huius ordinis id negotii datum est, ut quaestiones de haereticis haberent, pulcre hi quasdam quaestionum composuerunt formulas, quas ad omnia crimina accommodarent, iisque, nescio quae, daemonia comprehenderunt.

Anno sequente MCCXXXIII. a summo Pontifice, Gregorio IX. ad domandam ferro haeresin, *milicia Iesu Christi* est instituta, quam uiri equestris ordinis certatim professi sunt. (q) Cumque eodem tempore familiae S. Dominici, in insectandis haereticis, omnem operam ponerent, idem Summus Episcopus Romanus, *Conrado Marpurgensi*, eiusdem familiae uiro, qui iam antea sacrae crucis praedicatione (ita loquuntur huius aevi scriptores) celebris factus erat, Germaniae prouinciam demandauit, ut omni cogitatione curaque, inquinatas praua doctrina mentes, perfanaret. Sed erat hic uir a prudentia alienissimus,

*Conrado Marpurg. munus Quaesitoris defertur a Pontifice. Stedingi impugnantur, et clauduntur.*

(p) Vid. Mutius in Chron. Lib. XX. pag. 822. Tom. II. Pistor. Scriptor. Rer. German.

(q) Vid. Gregorii Ep. 385. Lib. VIII. et Raynald. Annal. an. 1233.

mus, affectibusque effrenatissimis adeo transuersum rapietur, ut munus uix ineptiori tradi potuisset. Is uero quaestor, hoc anno auctoritate Pontificia creatus, alumnos Dominicanae familiae mox per omnem Germaniam circummisit, qui e superiore loco ardenti multitudinem zelo implerent, ut in haereticos faceret impetum. Cerneret tum ubique rogos extrui, et homines innocentes passim per oppida plures comburi. Ipse quaestor promiscue in omnem aetatem sexumque faeuit, sufficebatque ad supplicium, uetulae, aut feruuli, inuidiosa narratio. Albericus, monachus <sup>(r)</sup> epistolam seruauit, quam Archiepiscopus Moguntinus, et Bernhardus, ipse familiae Dominicanae adscriptus, ad Gregorium dederunt, qua uehementer dolent, Conradum infantes praecipiti sententia condemnasse. *Haesin*, inquit hi, *Conradus ita putauit, ex toto deprehendere, si testes, qui se confitebantur aliquantulum criminis eorum conscios et participes in illorum absentia reciperentur, et dictis eorum simpliciter crederetur, ita, ut semel accusato talis daretur optio, aut sponte confiteri et uiuere, aut innocentiam iurare, et statim comburi: et ecce falsos testes ab haereticis subornatos adduxit inimicus: quaedam faemina ueniens fuxit peregrinam se haereticam, illius seclae fuisse suum uirum apud Cruneborch concrematum, et se uelle cremari innuens a latere, quod si ecclesia uerbis suis credendum decerneret, haereticos absconditos et fautores eorum manifestaret, haec missa est a magistro Conrado, qui nimis ei credidit, et ipsa primo apud Clauelt uillam, de qua oriunda fuit, cognatos et notos et affines, qui eam, exbaeredare uidebantur, fecit comburi, subornato etiam quodam Amfrido, quem modo fecimus in uinculis detineri, qui confessus est, quod multos innocentes alios*

ad

(r) In Chron. ad an. 1233. pag. 544.

(s) In Annal. ad an. 1233.

(r) Pag. 227. in Eccard. Corp. Hist. Tom. II.

ad ignem, alios ad tonsuram per testimonium suum congerit magistro Conrado iudicium fulminante. Et magister nulli, quamvis altae personae locum dedit legitimae defensionis, sed accusatum oportuit confiteri se haereticum esse, bufonem tactum, pallidum uirum et huiusmodi monstra dissidentiae pacis in osculo salutarasse, taliter quidam catholici abiudicati maluerunt innocenter cremari et saluari, quam mentiri de crimine turpissimo, etc. alii infirmi potius elegerunt mentiri, quam comburi, quibus tamen oportuit scolas nominare, et respondebant, nescio, quem accusem: dicite mihi nomina, de quibus suspicionem habetis et sic frater fratrem, uxor uirum dominus seruum accusauit. Alii dabant pretia tonsoratis, ut docerent modum euadendi, et facta est confusio a seculis inaudita. Ego Archiepiscopus magistrum Conradum primo solus, postea cum duobus Archiepiscopis Colonienfi et Treuirensi moui, ut moderatius et discretius in tanto negotio se gereret, qui non acquieuit, sed tandem contra nostram monitionem crucem publice praedicauit Maguntiae, etc. Vituperat etiam Godefridus, (s) monachus Colonienfis, Conradum, cuius uerba ideo apponenda esse censui, ne existimare quis posset, iniurias me quaestori maximo, facere uoluisse. Nam et propter ueras, ait is, haereses, et propter fidas, multi nobiles et ignobiles, clerici, monachi, inclusae, burgenfes, rustici, a quodam fratre Conrado ignis supplicio per diuersa Teutoniae loca, nimis praecipiti sententia sunt additi. Nam eodem die, quo quis accusatus est, seu iuste, seu iniuste, nullius appellationis, nullius defensionis, refugio proficiente, est damnatus, et flammis crudeliter iniectus. Idem leges scripturam in Gestis Archiepiscoporum Treuirensis, (t) ut satis mirari non possum Browerum, (u) uirum occulatissimum, qui Conradi defensionem suscepit. Consulendus quoque est Heineccius in Aniquit. Goslariens. (x) grauiter in hunc monachi

E 3

stoli-

(u) Annal. Treuirens. Lib. XV. ad an. 1231.

(x) Lib. II. ad an. 1222. et Lib. III. ad an. 1233.



stolidissimi furorem inuehens. Is *Conradus*, egregius quaestionum artifex, praeter *bufonem* et *pallidum uirum*, quos, Numinis loco, haereticos coluisse, sibi persuadere potuit, *catum* etiam nigrum, adorasse eos finxit, forte, quia uiderat, catos, egregiae formae, nigrique coloris, apud rusticam plebem magno in pretio esse. Sed quis quaeso sanus, de hominibus, qui, uel sola recta ratione, duce utuntur, tam' absurda crederet. Mirum adeo est, fidem potuisse eum Gregorio, Pontifici, quoque facere, nigrum daemonium hoc sanctissime Stedingos ueneratos esse. Et profecto, cum inter quaestionum formulas, a familia S. Dominici, ne iniuste periisse uiderentur, quibus nefanda obiiciebantur crimina, caute excogitatas, hanc etiam esse uideamus: *Item, quod adorabant quendam catum, sibi in ipsa congregatione apparentem quandoque,*(<sup>1</sup>) non inepte quis statueret, uocem *Ketzer*, ab hoc efficto *caro* potius, quem Germani *Katze*, *Kaetze*, *Kate*, *Kete*, appellare consueuerunt, quam a *carbaris*, deducendam esse. Sed *bufonem*, *pallidum* quendam *uirum*, *catumque*, alumni familiae Dominicanae, et inter eos in primis *Conradus*, forte soli, Stedingorum numina fuisse, finxerunt, cum nec Gregorius ea epistola, quam supra produximus, nec scriptores hi, qui res Stedingorum speciatim et proprie memoriae commendarunt, haec, de gente, monstra promulgauerint. *H. Wolterus* in *Chron.*(<sup>2</sup>) ita scribit: *Fuerunt sectatores haeresum, adorarunt Asmodeum, id est, diabolum, et fregerunt ecclesiae libertatem, sicut Papae ab Archiepiscopo Gerbaro, et Episcopo Mindensi et Raxeburgensi, et caeteris comprouincialibus manifestatum extitit. Ante uictoriam posuerunt idolum Asmodei ad occidentem, et in contemptum*

Dei

(<sup>1</sup>) Vid. Articuli, super quibus inquiretur contra ordinem militiae templi,

pag. 82. in *Leibnitii Cod. Diplom.*  
*Mantiff. Part. 2.*



Dei adorauerunt. In Chronico Rastedensi (a) haec de Stedingorum praua superstitione referuntur: *Idolum etiam Ammon in ecclesiam S. Aegidii in Berna statuerunt ad occidentem, post eorum maledictionem a sede Apostolica.* Albertus Stadenf. (b) crimina populi recensens, ipsam Gregorii, Pontificis, epistolam, quam memorauimus, in medium profert. Nec Woltero Brementis Canonico, cum monacho Rastedensi, in tradendo numinum cultu, conuenit. Etenim is, *Asmodeum*, siue diabolum, profert, hic *Ammonem* quendam proponit, ut recte conicias, duumuiris his minime constitisse, Stedingorum religio, aliqua ne labe maculaque aspersa fuerit, an potius, propter *decimas* negatas, acerbissimis, iisque confectis, criminibus, gentem monachi compellauerint. Sed Gregorius Conrado credit, literas (c) ad eum dat, hortaturque, perfidos *Stadings* (ita male eos appellat) a scelere reuocet, et, si in crimine persistant, sacram in eos militiam studeat comparare. Conradus deinde Pontificem certiozem reddit, malum adeo confenuisse, ut blanda remedia minime sufficere uideantur; scelera porro Stedingorum recenset, numinum stolidissimum cultum fingit, et pestem ferro esse extinguendam censet. Pontifex igitur aliam ad Archiepiscopum Moguntinum, Episcopum Hildesemensem, et Conradum, sibi carissimum, epistolam, (d) eodem anno, scribit, qua non modo serio monet, foedissimam hominum luen, conscriptis quam primum cruce signatis, praefocarent, hisque omnibus, qui arma essent capturi, eas impertirentur indulgentias, quibus illi, qui Hierosolymitanam inirent profectiozem, potirentur; uerum etiam praestigias diabolicas, quibus miseri sint delusi, blasphemiasque plures, quas in coeli conditorem euo-

mant,

(z) Pag. 58. (a) Pag. 98. (b) Pag. 306.

(d) Lib. VII. Ep. 77. Conf. Raynald,

(c) Lib. VI. Ep. 173. Vid. Rayn. Ann. an. 1133.

an. cis.

mant, et quas ipse a Conrado didicerat, magna doloris significatione in medium adducit. Meretur legi hic haec epistola, ut sciamus, quo atro colore bonos *Stedingos* Conradus quaestor depinxerit. *Sicut enim literae uestrae, inquit Pontifex, grandi moerore plene, et immenso dolore non uacuae nobis exhibitae continebant, inter diuersas haeresum species, quae peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una fuit detestabilior caeteris, sic et generalior uniuersis, quae non solum referentibus, sed etiam audientibus est horrori, in nobilibus membris ecclesiae, ac ualde potentibus, iam erupit. Haec enim est omni dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, caelestium omnium et terrestrium inimica, contra quam non solum homines ratione utentes, uerum etiam ratione carentia, cum haec pestis eorum excedat insaniam imo ipsa etiam elementa debent insurgere et armari. Huius pestis initia talia perferuntur: Nam dum nouitius in ea quisquam recipitur, et perditorum primus scholas intrat, apparet ei species quaedam ranae, quam bufonem consueuerunt aliqui nominare: hanc quidam a posterioribus, et quidam in ore damnabiliter osculantes, linguam bestiae intra ora sua recipiunt et saliuam. Haec apparet interdum in debita quantitate, et quandoque in modum anseris uel anatis, plerumque furni etiam quantitatem assumit: demum nouitio procedenti occurrit, miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus et macer, quod consumptis carnibus sola cutis relicta uidetur ossibus superducta: hunc nouitius osculatur, et sentit frigidum sicut glaciem, et post osculum catholicae memoria fidei de ipsius corde totaliter euanescit. Ad conuiuium postmodum discumbentibus, et surgentibus completo ipso conuiuio, per quamdam statuam, quae in scholis huiusmodi esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris gattus niger, retorta cauda, quem a posterioribus primo nouitius, post magister, deinde singuli per ordinem osculantur, qui tamen digni sunt et perfecti: imperfecti uero, qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a magi-*

magistro, et tunc singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac uersus gattum capitibus inclinatis: *Parce nobis, dicit magister, et proximo cuique hoc praecipit, respondente tertio et dicente: scimus Magister: quartus ait: et nos obedire debemus. Et his ita peractis extinguuntur candelae, et proceditur ad foedissimum opus luxuriae, etc.* Completo uero tam nefandissimo scelere, et candelis iterum reaccensis, singulisque in suo ordine constitutis, de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi hominum, quidam homo procedit a renibus sursum fulgens, et sole clarior, sicut dicunt, deorsum bispidus, sicut gattus, cuius fulgur illuminat rotum locum, tunc magister excerpens aliquid de ueste nouitii, fulgido illi dicit Magister: hoc mihi datum, tibi do: illo fulgido respondente: Bene mihi seruisti pluries, et melius seruius, tuae committo custodiae, quod dedisti, et his dictis protinus euanescit. Corpus etiam Domini singulis annis in Pascha de manu recipiunt sacerdotis, et illud ad domus suas in ore portantes in latrinam proiciunt, in contumeliam Redemptoris. Ad haec infelicissimi omnium miserorum, gubernantem coelestia pollutis labiis blasphemantes, offerunt delirando, coelorum dominum uiolenter contra iustitiam, et dolose Luciferum in inferos detrusisse. In hunc etiam credunt miseri et ipsum affirmant coelestium conditorem, et adhuc ad suam gloriam praecipitato domino rediturum, per quem cum eodem, et non ante ipsum se sperant aeternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, et potius agenda, quae odit. Exclamandum iam foret, hem satis est! Videmus enim spectra bellam in Sredingia tum comoedian egisse. O credulum Gregorium, cui tam egregie imponere Conradus, magister, potuit. Animaduertit autem ipse Pontifex, ea omnia cum ratione pugnare; et tantum tamen apud eum potuit abiectissimus monachus, ut stultis his insanisque rebus fidem tribueret. Quis quaeso non miretur ingeniosum

sum hunc Stedingum, qui ranæ aut bufonis linguam aptissime intra os suum recipere didicit? Pulcra sunt illa, de ranæ salina, pulcrius uero id, quod rana sciuit, tot personas sibi imponere. Macilentus ille frigidusque homuncio, utrum dextro, melius, an sinistro, pede, ad Sacra Stedingorum adierit, mallet Conradus etiam edocuisse. Forte terriculum rusticorum, quo utebantur in fundis ad uolucres arcendas, pius quidam conspexit monachus, et ad eius conspectum expauit. De cato, et sanctissimo corpore Domini, memini me supra dixisse. Sed plures adhuc hoc anno Pontifex epistolas contra *Stedings* scripsit, indulgentiarum præmia his promittens, qui strenue bellaturi essent. Sunt enim in manibus, *Gregorii IX.* literæ ad *Episcopos Maguntinæ prouinciæ*, (e) ad *Fridericum II.* Caesarem, (f) eiusque filium, *Henricum, Regem*, (g) quos uehementer rogat, ut imperii Germanici Proceres hortentur ad arma contra teterrimam hominum colluuiem citissime capienda. Idem iterum quoque mandauit *Mindensi, Lubecensi, Raceburgensi, Episcopis*, (h) ut ad sacram accingerent se contra *Scehbincos* (ita enim uocat) expeditionem. Quid uero Conradus agit? Is, beatum se putans, si *Stedings* ex animi sententia opprimere posset, omnes, quos potest, ad arma uocat, uehementissimeque clamat, *hostes Dei ecclesiaeque in Germania esse*. Praesto erant ei familiae Dominicanæ alumni, quorum aliquos Bremam misit, ut populis Stedingiæ finitimis, Pontificis, Conradique, iussu, denuntiarent, exercitum conscribendum, creandos duces, eorumque auspiciis gentem, haeresi infamem, delendam esse. *Albertus Stadenfis, Anno MCC XXXIII.* inquit, *crux contra Stedings*

gos

(e) Lib. VII. ep. 178.

(f) Lib. VII. ep. 179.

(g) Lib. VII. ep. 180.

(h) Lib. VII. ep. 186. cf. Rayn. Ann. ad 1233.



gos ubique auctoritate Apostolica praedicatur et a multis recipitur. Idem refert auctor historiae Archiepisc. Bremens. <sup>(k)</sup> Herm. a Lerbeko uero, caute et cogitate scribit, <sup>(l)</sup> crux contra Stedingos, uelut contra haereticos, et in malitia obduratos praedicatur. Ex eo tempore dici non potest, quam frequentes ad sacra in Stedingos militiae signa concurrerint homines. Gerhardus, Archiepiscopus, acceptis tot auxiliis, nihil cunctandum ratus, hoc anno, cruce signatorum exercitum prope Bremen lustrat, militemque deinde in aciem educit, cum Stedingis uno secundo praelio debellat, terram longe lateque uastat, captosque, quod erant haereseos crimine damnati, omnes rogo imponit. Sed incautum tum imprudentemque hostem is oppresserat. Cum enim, fortuna elatus, Stedingiam paullo post iterum inuaderet, eam, perforatis aggeribus, aqua inundaturus, deleturusque, hostes, magno animorum robore Stedingi Gerhardum, multis suorum amissis, in fugam coniecerunt. Erat adhuc foedere, eodem tempore, Stedingis iunctus Dux Lunenburgicus, qui, ne focii hoc bello ad incitas redigerentur, exercitum in comitatum Stadensem duxit, formidine omnia impleuit, diuesque praeda domum rediit. Sed hunc deinde Pontifex minis adeo terruit, ut foedus frangere cogeretur. *Albertus Stadenf.* <sup>(m)</sup> *Orientalis Stedingia, a peregrinis, occisis Stedingorum plurimis uastatur. Dominus de Brunswich, Bremensi ecclesiae contrarius, Comerium Stadensem interea populatur. H. Wolterus in Chron.* <sup>(n)</sup> *Infra idem tempus uenerunt peregrini Bremam contra Stedingos, et ceperunt tam nauigio, quam pedestri exercitu, Osterstat, sequenti die Iohannis et Pauli martyrum, et consumpserunt terram rapinis et incendiis, et interfecerunt omnes in ore*

F 2

gladii

(i) Pag. 306.

(k) Pag. 97.

(m) Pag. cit.

(l) Chron. Schayvenb. pag. 510.

(n) Pag. 57. 58.



gladii pro nomine Christi, quia crux praedicata erat super Stedingos inimicos crucis Christi. Interfecti ibidem erant CCC uiri demptis parvulis et mulieribus, et qui capri uiui missi sunt in ignem pro haeresi: post hoc uenit Archiepiscopus in Stedingiam cum multis nauibus, et fodit aggeres ad introducendas aquas, tunc perdidit Archiepiscopus multos de suis. Tunc destructum est Harborg per Ducem Luëburgensem pro subsidio Stedingorum: Sed Papa Ducem compescuit, alias etiam crucem contra eum praedicasset. Herm. de Lerbeke: (o) Interim populus innumerabilis cruce signati Bremam uenientes per Wiseram, et terram transeuntes, partem terrae iuxta Bremam, quae Osterstat dicitur, in castro SS. Iohannis et Paulli irrantes, et plus quam quadringentis interfectis, caeteri qui uiui reperi sunt, traditi fuerunt. Videatur etiam Historia Archiepiscopor. Bremens.

Cruce signati coeunt, ut Stedingos iussu Pontificis opprimant.

Annus M CC XXXIII. Stedingis fuit fatalis, quo a multis gentibus ad interuicium caesi sunt. Hollandi, Brabantini, Iulii, Montani, Cluientes, Oldenburgici, aliique plures, consciuerunt, Pontificis iussu, bellum, conueneruntque Bremae quadraginta hominum, cruce sacra munitorum, millia, ut nationem perfidam excinderent. Resiciebat, anni initio, Gerhardus, hostem infestaturus, arcem Slutter; sed eam Stedingi, qui in unum coierant, quorumque animi in spe ultima ad decertandum erant obstinati, iterum capiunt diruuntque. H. Wolterus in Chron. (p) Anno Domini M CC XXXIV. iterum reaedificat Archiepiscopus Bremensis Sluttere contra Stedingos, et iterum Stedingi destruxerunt, tunc crux in omnibus finibus fuit praedicata contra Stedingos. Chron. Rastedens. (q) Stedingi castrum in Slutterberge situm

(o) Pag. 510.

(p) Pag. 58.

(r) Pag. 101.

(q) Pag. 101.

(s) Pag. 510.

strum prope Delmenhorst constructum ab Archiepiscopo Gerhar-  
 dō II. iterato expugnantibus, funditus vastauerunt. Intrat deinde Steding-  
 gorum fines magno animo Henricus, familiae Dominicanae mo-  
 nachus, qui frequentes antea contra Stedings conciones ha-  
 buerat, multitudini, bellum sacrum gerendum esse, persuasurus.  
 Is uero clamorosus magister, cum populum argueret propter  
 negatas decimas, summo ab eo supplicio affectus est. Etenim  
 non male iudicabant Stedingi, belli cum concitorem, aduer-  
 sus quem omnia liceant, esse. *Chronicon Rastedens.* (t) *Quendam*  
*fratrem ordinis S. Dominici de Brema, ipsos Stedings pro eo, quod*  
*decimas suas et tributum non soluerent, arguentem capitali decol-*  
*latione tanquam martyrem punierunt, cuius corpus ara celsiori in*  
*Brema quiescit.* *Henr. a Lerbeke:* (s) *Stedingi pertinaciter et despe-*  
*rate agentes fratrem Henricum de Brema interfecerunt. Hic uir*  
*Dei crucis praedicator terram Stedingorum cum socio suo fratre or-*  
*dinis sui pro salute et conuersatione intrans, occisus est. Eodem*  
*fere tempore Burchardus, Comes Oldenburgicus, qui, nimio*  
*feruore agitatus, cum delecta manu, non expectatis auxiliis,*  
*bellum Stedingis intulit, ab eis occisus est: Albertus Stadenf.* (x)  
*Burchardus, Comes de Aldenburg, a Stedingis pene cum ducentis pro-*  
*stermitur peregrinis. H. Wolterus in Chron.* (u) *Tunc Comes Bor-*  
*chardus Oldenburgensis a Stedingis interemptus fuit. Cum eodem*  
*comite interfecti fuere CC uiri. Iob. Schiphomerus in Chron.* (x)  
*Borchardus contra Stedings in loco qui Helmescampe dicitur, oc-*  
*cubuit. De eo uideatur Hamelmannus in Chronico Oldenburg-*  
*ico.* (y) *Cum haec agerentur, terra marique Bremam ad-*  
*uolat, maximus cruce signatorum numerus, comparaturque*

Stedingi  
 monachum  
 Dominica  
 num.

et Olden-  
 burgicum  
 Comitem  
 interfici-  
 unt.

F 3 iam

(t) Pag. 306.

(u) Pag. 58.

(x) Cap. 7. pag. 145.

(y) Part. I. c. 20. pag. 64.



iam, ex flore praesertim nobilitatis Westphalicae, ingens ille exercitus, qui, ex uoto Pontificis, Stedingos deleret.

*Compara-  
tur ingens  
aduersus  
eos exerci-  
tus.*

Hi, licet numero longe inferiores, uiribusque impares, essent, ausi tamen sunt hostilem expectare exercitum, et signa conferre, honestissimeque mori, maluerunt, quam ignominia et turpi supplicio affici. Duces gentis, cum uiderent infesta signa tolli, oratione, necessitatis ultimae indice, suorum animos accendunt, et tanquam nulla alibi, quam in semetipso, cuiquam spes relicta esset, *Vitam*, inquit, *patriamque maximis uiribus defendite, et, cum multitudine uos superari uideatis, id ante omnia agite, ut uel succumbatis honeste, uel rabidorum canum more, uelut insanientes, primo impetu signa hostium turbetis.* Vadunt deinde in hostem prope *Oldenesche* uillam, itaque ferociant, ut gladios uultusque, animi ardore micantes, ferre nemo posset. Sed superantur tamen, caedunturque, a multitudine. *Vitam* alii, alii libertatem, perdunt. Pars sanior, quae a uulgi erroribus uehementer abhorrebat, fuga se in Frisiam subduxit; caeteri in eas sunt angustias adducti, ut morem Episcopis gerere, comiterque eos uenerari, cogerentur. Decretoriam hanc pugnam *Albertus Stadenf.* (2) descripsit: *Anno Domini MCCXXXIV.* inquit is, *Henricus Dux Brabantiae, et Florentinus Comes Hollandiae, Bremae existentes, contra Stedingos uiriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos ecclesiae. Bremensis Archiepiscopus, Dux memoratus et Comes, peregrinorumque non modica multitudo VI. Kal. Iulii die sabbathi processerunt unanimiter contra ipsos, tanquam diuinae potentiae et patientiae abusores, parati occumbere, uel ipsos cum eorum nefandis operibus, ad honorem et Iesu Christi, et ecclesiae, penitus abolere. Illi e conuerso tanquam* *uberi-*

(2) In Chron. pag. 307.



uberibus enutriti, ad hoc crudelius saeuiebant, et in suo Asmodee ponentes fiduciam, non diffidebant se posse resistere potenti brachio Domini Zebaoth, et tantae multitudini signatorum. Et mira et miseranda pertinacia obstinati, non cessabant adhuc clauis ecclesiae scelestis labiis turpiter blasphemare. Bolche de Bardenflete, Tammo de Hunthorpe, Thedmarus de Aggere, et alii pessimi malesuadae eorum, ut uitam et patriam defenderent, ipsos fortiter hortabantur, dicentes, quod ipsos aut oporteret succumbere, aut sicut canes rabidos insanire. Transferunt autem medio tempore peregrini Oehmundam fluuium, pontem de nauibus facientes, et cum transferant, sapienter suas acies ordinabant. Stedingi ut amentes effecti, ac quadam insania uentilati, non timuerunt signatorum multitudinem, nec spiritualem nec materialem gladii potestatem, sed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes processerunt obuiam peregrinis. Dux Brabantiae et Comes Hollan.<sup>Internatio-</sup> diae primo congressu Pestilentes illos super agrum Oldenesche, ubi <sup>ne caeduntur.</sup> conuenerant, uiriliter inuasit, sed ipsi summo conamine se defenderunt. Statim Comes de Cliuo cum suis a latere irruens super illos, ipsorum aciem dissipauit. Clerus, qui eminus adstans, rei exitum expectabat, Media uita, et alia miserationis carmina, cum moerore cecinit, et pro crucis uictoria supplicauit. Nec mora, illi insipientes et maligni euauerunt in cogitationibus suis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, hastis perfossi, gladiis percussi, equorum pedibus conculcati. Et ita manus Domini inualuit super eos, ut in breui spatio eorum sex millia interierint. Plurimi ex eis fugae praesidium postulantes, in proxima fouca et in Wisera se submerserunt. Si qui euaserunt, sub coeli uentis quatuor sunt dispersi. Alberto sua debet auctor historiae Archiepiscop. Bremens. (a) Carmen breue in

(a) Pag. 97. 98.

in memoriam cladis, *Herman. a Lerbeke*, <sup>(b)</sup> *Henr. Wolterus*, <sup>(c)</sup> et *Chronicon Rastedense*, <sup>(d)</sup> feruant. Id hic quoque legi uolui:

*Stedingi sexto Iunii cecidere Kalendas  
Anno Gerbarði quinto decimoque Secundi,  
Lippia Pontificem, quem tibi Brema dedit,  
M. duo C. quartus ter denus tunc fuit annus.*

*Botbo* in *Chron.* <sup>(e)</sup> refert, quadraginta militum millia contra Stedingos pugnasse: unde *togen upp de Stedingh mit uertich dusent mann*. Res in Stedingia gestas memoriae quoque tradiderunt, Auctor *Chron. S. Aegid. in Brunswig*, <sup>(f)</sup> *Hamelmannus*, <sup>(g)</sup> *Wern. Teschenmacher*. <sup>(h)</sup> *Sebatenius*, <sup>(i)</sup> *Raynaldus*, <sup>(k)</sup> *Winkelmanus*. <sup>(l)</sup>

*Male Stedingi inter haereticos numerantur.*

Tantam uero fragem milites cruce signatos, propter *decimas*, quas Stedingi detrectauerunt, edidisse, iterum monendum esse censui, ne quis porro *haeresin* quandam *Stedingicam* somniet. Illae enim *decimae* fecerunt, ut Stedingi apud omnes male audirent. Propter has, a maleuolis et malefanis, atrocissima coniecta sunt in Stedingos crimina, quo uicini arma citius caperent, populumque ecclesiae Bremensi subderent. Sane *monachus Rastedensis*, <sup>(m)</sup> inter principes causas ultimi belli gesti, *decimas* negatas, refert, criminumque Stedingis

(b) Pag. 510.

(c) Pag. 59.

(d) Pag. 101.

(e) Pag. 362. Tom. III. Script. Brunsw.

(f) Pag. 589. Tom. III. Script. Brunsw.

(g) In Chron. Old. Part. II. c. 1. p. 98 seq.

gis obiectorum, ne mentionem quidem facit: *Gerhardus autem*, inquit, *Archiepiscopus non solum de morte nobilis Hermannii de Lippia dolens, ac etiam de occisione Comitis Borchardi aliorumque nobilium militum, sed et de retentione decimarum et tributorum, et de destructione monachorum, et de occisione fratris ordinis S. Dominici, summi Pontificis auxilium imploravit.* Idem confirmat *Godefridus monachus*,<sup>(n)</sup> uir, qui a partium studio est alienissimus: *uerbum crucis*, ait is, *praedicatur contra Stagingos, per inferiores partes Teutoniae et Flandriae. Collecto itaque uniuerso exercitu cruce signatorum in crastino ascensionis iidem Stagingi superantur, et a terra sua funditus extirpantur. Fuerunt autem Stagingi populi in confinio Frisiae et Saxoniae siti, qui pro suis excessibus et subtractionibus decimarum multis annis excommunicati, contemptores clauium ecclesiae sunt inuenti. Qui cum essent uiri strenui, uicinos populos, imo et Comites et Episcopos bello pluries sunt aggressi, saepe uictores raro uicti. Ob quam causam uerbum crucis contra eos fuit praedicatum. En, decimas, belli Stedingici causam. Haeresin quoque Stedingicam Godefridus proferat, contemptum scilicet clauium ecclesiae. Certe cum colla, post cladem acceptam, iugo subdidissent Stedingi, mox etiam crimina illa ficta euauerunt, deditque Pontifex Gregorius IX. Archiepiscopo Bremensi potestatem, anno MCCXXXV. Stedingos a crimine suspicione absoluendi; qui, si sibi per-*

G suasi.

(h) Annal. Clui. Part. II. pag. 222.

(i) Annal. Paderbornens. ad an. cit.

(k) Annal. Eccles. an. cit.

(l) Notit. VVestphal. lib. 2. c. 6.

(m) Pag. 101.

(n) Annal. an. 1234.

suafisset, eorum mentibus alte infedisse prauas doctrinas, de persanandis iis non potuisset non cogitare. At is, in epistola, ad Archiepiscopum, scripta, *rebellionis* populum *inobedientiaeque* accusat, ueniaque dignum esse censet, dummodo *decimas residuas* restituat, et de *futuris*, stato tempore, dandis caueat. Vt uero ipse iudices, epistolam Gregorii, *de absolutione excommunicationis Stedingorum*, uulgare uolui. (o) *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Archiepiscopo et dilectis filiis Capitulo Bremensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte uniuersitatis Stedingorum in Bremensi diocesi existentium, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum super eo, quod uobis inobedientes et rebelles diutius extiterunt, uestris cupiant parere mandatis, faceremus excommunicationis sententiam, qua propter hoc tenentur adstricti, misericorditer relaxari. Cum igitur pulsantibus ad ecclesiae ianuam non sit minime gratia deneganda, praesentium uobis auctoritate mandamus, quatenus ab eis sufficienti cautione recepta, quod uobis de praeteritis satisfactionem impendant, et ecclesiae ac uestris impofterum pareant praecise mandatis, iniuncto sibi, quod de iure fuerit iniungendum, sententiam ipsam, iuxta formam ecclesiae relaxatis. Datum Perusii XII. Kal. Septembr. Pontificatus nostri Anno IX.*

(o) Legitur inter priuilegia Archiecl. Hammaburg. pag. 172. Script. Septentr. Lindenbrog.



Wittenberg, Diss., 1751

ULB Halle

008 559 783

3





1729.

IOANNIS DANIELIS RITTERI D

S. R. M. A CONSIL. AVL. ET HISTOR. P.P. H.T. DE  
CANI ORD. PHILOS. ET IMPERIALI AVCTO  
RITATE CONSTITVTI COMITIS  
PALATINI

DISSERTATIO

DE

PAGO STEDING

ET

STEDINGIS

II HAERETICIS

VCEM EDITA

CVM

EMNIA

M MAGISTRORVM

VM ARTIVM

NDICERET

STEDINGAE

STEDINGAE  
TZSCHIEDRICHIANIS

1751 17

